JOHANNIS LASITII
NOBILIS POLONI

HISTORIÆ DE ORIGINE ET REBUS gestis FRATRUM BOHEMICORUM,

Liber Octavus.

qui est

De Moribus & Institutis Eorum.

Ob præsentem rerum statum seorsim editus

(Cujus rei rationem præfatio sequens explicabit)

Adduntur tamen reliquorum VII Librorum argumenta, & particularia quædam Excerpta.

Atq; in gratiam Fratrum Polonorum de prima Ecclesiarum Fratrum in Polonia origine succincta narratio.

ANNO M. DC. XL. IX.

Lesnae hic tractatu edi curavit D. Joh- Amos Comenius.

Wzór grzebieniowy przeciągany placard persille

Johannis Lasitii... *Historiae de Origine et Rebus gestis Fratrum Bohemicorum Liber Octavus*...(Lesnae) 1649

Apoc. II. v. 1. ad 6.

ANgelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem Stellas in dextera sua, qui ambulat in medio Candelabrorum aureorũ. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quòd non potes tolerare malos, & explorasti eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & invenisti eos esse mendaces. Et habes patientiam & sustinuisti propter nomen meum afflictiones, & non defecisti. *Sed habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam dereliquisti. Memor esto itaq;, unde excideris: & age pœnitentiam, & priora opera facito. Sin minus, veniam adversus te citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

FRATERNITATIS

Bohemicæ, è patria dispersæ, fidis Reliqvijs.

Salutem, & in castigationibus divinis divina solatia.

AD Deplorandisne horrendis, quibus nos justa inundavit ira Dei, calamitatibus, auspicabor hoc Vestri alloquium, ô passionum Christi consortes? an à deprædicanda potiùs majore bonitate Dei, quòd tam oppressi, tam disjecti, tam attriti, nõ tamen consumti sumus hucusq;? quia non deficiunt miserationes ejus.

Respicite obsecro, dilecti in visceribus JEsu CHristi amici, quid nobis fiat, quô delati simus! Nunquam equidem ex quo cũ dilectis majoribus Naviculam illam, quâ per procellosum hoc Mundi mare Christus cum suis vehitur, ingressi

ſumus, jactationum fuimus expertes: nunquam tamen æquè ut nunc omnes inundationes Dei, omnesq; fluctus, irruerunt in nos, ut nihil ſit reliqvum, niſi cooperta jam fluctibus navicula, clamare cum Diſcipulis, *Domine ſerva nos, perimus.* (Matth. VIII. 25.) Perimus enim verè: imò perijmus. Ecquiſnam perijt? Parùm foret dicere: Templa nobis periêre, & in ijs peragi ſolitus purus Dei cultus. Periêre Libri ſacri, erepti nobis, diſcerpti, hoſtilisquè furoris flammâ abſumti. Periêre omnia publicæ ſecuritatis, Deoq; ſecundùm agnitam Veritatem ſerviendi libertatis, vincula. Perijt nobis Patria, & nos illi, per exterarum regionum deſerta disjecti. Quod majus, Noſmet ipſi qui Cultores veri Dei dici digni facti fuimus, perimus variè. Pereunt nobis Eccleſiæ Miniſtri: imò perierunt, vix pepraucis ſuperſtitibus. Pereunt Eccleſiarũ nutritij, Procerum fideles: pauxilli ſuperſunt. Peritis Vos fidelis Populus, imò perijſtis pleriq; ſeu corpore, ſeu animo, ſeu fortunis: ad extrema omnia redacti ſumus omnes, tam

tam diſperſi quàm domi relicti, tota Gens noſtra. Ita in nobis impletum eſt, quod minatus fuit Deus, *Relinquemini velut cippus in vertice montis* (Jeſ. XXX. 17.) *reſidua ligna ſylvæ noſtræ pauca facta ſunt, ut vel puer numerare ea poſſit* (Jeſ. X. 19.) *Immiſſi enim ab Oriente & Occidente hoſtes devorârunt nos toto ore: nec tamen in omnibus his averſus eſt furor ejus, ſed manus ejus adhuc adverſus nos extenta* (Jeſ. IX. 12.) Fit certè hactenus in toto Chriſtiano Orbe, ſicuti olim cùm clamaret Propheta: *In tempore hoc non eſt pax egredienti aut ingredienti, ſed terrores undiq; in cunctis habitatoribus terrarum. Pugnat n. Gens contra gentem, & Civitas contra civitatem: quia Dominus conturbat omnes in omni anguſtia* (2. Chron. XV 5, 6.) Cujusmodi furioſæ gentium colliſiones poſtquam tot annis duravêre, *contritio ſuper contritionem facta eſt paſſim* terrarum (Jer. IV. 20.) Potiſſimùm verò Gentem noſtram meritò quis cum Propheta inclamet; *Magna eſt ſicut mare contritio tua, quis medebitur tibi?* (Thren. II. 13.) Nempe quomodo Vas aliquod utile, ligneum vel argillaceum, quando infringitur, aut in

 partes

partes diffringitur, aut in frusta plura cõfringitur. noxam quidem patitur, sed reparari rursum potest: at quando conteritur in pulverem, quâ reparabitur arte? ita præsens rerum nostrarum afflictio, & velut extrema dissolutio, vix ullam auxilij & reparationis admittit spem, quæ cõcepta toties, in nihilum relabitur toties. Toties enim inter Potentes Mundi tentata pacifica transactio, semper adhuc successu caruit. Etiam conclusa jam hîc & illîc pax, in novi occasionem Belli degenerat: adeò verax semper est Deus, pronuncians Verbo suo, fabricantes sapientiæ humanæ artibus Pacem, *curare contritionem populi leviter, dicendo Pax, ubi non est pax* (Jer. VI. 14 & VIII. 11.) *Exspectavimus n. pacem, & ecce nihil boni! tempus medelæ, & ecce formido!* (Cap. VIII. 15.) Etiam ultimò jam constitutâ, generaliori ac antè, Pace, quid solatij allatum nobis, alijsq; multis? Id nimirum, ut cum Jeremia clamemus jam, *Heu, heu, heu, decepti sumus! Dictitatum nobis fuit, Pax erit vobis: ecce autem Gladius pertigit usq; ad animam* (Jer. IV. 10.) Et cum Ezechia; *Ecce in Pace amaritudo*

tudo mea amarissima (Jes. XXXVIII. 17.) Verissimam nunc habemus verborum Christi exegesin: *Pacem relinquo Vobis, Pacem meam do Vobis, non quomodo Mundus dat, Ego do vobis* (Joh. XIV. 27.) Videmus etenim Mundum dare pacem (1) *Serò*, demum quum perditi sumus. (2) *Extrinsecùs* tantùm, internam dare non posse. (3) *Quibusdam* tantúm, alijs ab illa quoq; imperfecta Pace exclusis. Obliviscuntur scilicet mundani illi Pacificatores imitatores esse *Dei, qui Pacem restituit, quando restituit, omnibus, qui longè sunt & qui propè* (Jes. LVII. 18. 19.) Ostenduntq; se ex numero eorum esse, qui *Viam pacis nescierunt* (Jes. LIX. 8.) *Propterea exspectavimus lucẽ, & in tenebris ambulamus* (v. 9.) *Venit mane, & tamen nox est* (Jes. XXI. 12.) Redeundum itaque nobis est ad internam conscientiarum pacem, & illâ acquiescendum, juxta illa Domini nostri Verba: *In me pacem habebitis, in mundo pressuram; sed confidite, ego vici mundum* (Joh. XVI. 33.)

Siquis interim causam, cur ita nos premi permittat Deus, quæsierit, hanc unam, aut certè præcipuam, reperiet, quòd

 finem

finem suum in castigandis nobis nondum reperit Dominus. Peccata nimirum, ob quæ infliguntur plagæ Dei, tolli oportet ab oculis Dei, antequam tollantur flagella. Nos verò etiam ad agnoscendum culpas, constituti sub flagellis, quàm difficiles sumus! nedum ad emendandum: justificare nos semper potiùs, & interim consvetis incedere vijs, paratiores. Multa de eo in Scripturis divinis exstant, tùm testimonia, tùm exempla: non desinere solere irasci Deum, nisi homines desinant provocare ad iram. *Frustrà percussi filios Vestros* (inquit Deus) *disciplinam meam non receperunt: devoravit ergò gladius Prophetas vestros.* Item: *Quia dicis, Absq; peccato, & innocens sum, avertatur furor tuus à me: ecce ego judicio contendam tecum, quia dicis, Non peccavi.* (Jer. II. 30. 35 36.) Sequentibus verò capitibus, agnoscentibus demum promittit gratiam: *Revertimini filij aversantes, & sanabo aversiones vestras,* (III. 22) *Ablue à malitia cor tuum Jerusalem, ut serveris: usq; quô morabuntur tecum cogitationes noxiæ?* (IV. 14.) Respondente autem Prophetâ; *Domine percussisti eos,*

eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam (v. 3): Deus rursum; *Super quo (igitur) propitius tibi esse potero?* (v. 7.) Quinimò *sicut judicio contendi adversum patres vestros, ita judicabo Vos: donec Vos subjiciam sceptro meo, & inducam in vincula fœderis* (Ezech. xx. 36. 37.) *Percutiam Vos plagis, sed ut sanem* (Ies. XIX. 22.) *Non priùs suscitabo super Sion interdiu nubem, & splendorem ignis flammantis noctu, nisi cùm priùs abluero sordes filiæ Sion, in spiritu judicij, & in spiritu ardoris* (Ies. IV. 5. 4.) *Nec priùs restituam Judices tuos ut fuerunt antè, vel Consiliarios tuos sicut antiquitùs, nisi postquam excoxero ad purum scoriam tuam, & abstulero omne stannum tuum* (Jes. I. 26. 25.) Agnoscamus igitur, dilecti, quid istuc esse oporteat, quod sic usq; obstat, ne ad nos redeat misericordia Dei: *Malitia nempe, & durities cordis nostri, impœnitentiaq;.* Ionas prævaricator in causa fuit, cur sæviêre venti & mare; nec cessare poterant, nisi illo in abyssum præcipitato. Modernæ itaq; tam diuturnæ horrendæq; procellæ, multos fuisse communi Ecclesiæ nave vectos prævaricatores,

res, ante quos absorptos impossibile est iræ divinæ sedari ventos, ostendunt. Tot equidem Navis hujus Gubernatores cum nautis suis (tot scil. populorum Rectores, cum innumeris Exercitibus suis, Consiliarijs suis, & variè tentatis, jam violentis jam placidis, medijs suis) nihil non egerunt, ut ad securitatis aliquod littus deductâ Nave hâc, servarent reliquos: ecce tamen quàm irrito conatu hucusq; omnia! licèt non unus, non decem, non mille, sed infiniti, contumaces Jonæ ejecti jam sint, abyssoq; absorpti. Restare igitur necesse est etiamnum multos, qui non submittendo se Deo ad pœnitentiam, hanc furoris Dei (contra Christiani Orbis navem) detinent procellam.

Nec est cur quis cogitet, adversùs ingentia duntaxat publicè grassantia scelera, *Falsam Religionem, Idolomaniam, Homicidia, Adulteria, apertasq; & Orbi palpabiles Injustitias* &c, ita exardescere Zelum Dei: etiam adversùs Ecclesiam ipsam remissio in studio Pietatis, & Religionis veræ frigus, iram Dei incitat, teste ipso Christo, Apoc. II. *Novi opera tua, & laborem, & pœnitentiam*, &c. *Habeo tamen hoc adversus te, quòd Charitatem tuam primam omiseris. Memor igitur isto, unde excideris, & age pænitentiam, & opera prima facito. Sin autem, ecce veniam, & movebo candelabrum tuum de loco suo.*

Ecce causam veram, cur nunc etiam tot Ecclesiarum (etiam nostræ) Candelabra loco mota, disjecta, confracta, proculcationi data sunt! Omisimus charitatem primam, refrigescere in nobis passi sumus divini amoris ignem. Quod quâ ratione contigerit alijs, attendant & emendare quærant alij: nobis, qui in communi Ecclesiæ Domo certum obtinemus Atriolum, quomodo pro luce fumos dare cœperint Candelabra nostra, ut attendere discamus, præsentis propositi est. Evenit scilicet nostræ quoq; Ecclesiæ quod Israeliticæ, & Apostolicæ, & alijs aliàs, quoties Deo placuit renovatis Ecclesijs: ut *principium ferbuerit, medium tepuerit, ultima refrixerint.* Fervorem dilectionis, quæ fuit inter Deum sponsum, & novellam Israëliticam Ecclesiam sponsam, cùm alibi Deus, tùm Jeremiæ II. 2, 3. attingit. Apostolicæ v. Ecclesiæ ferventissima charitas describitur Act. II. 42. ad finem, & IV. 32. ad finē. Nostræ a. Ecclesiæ, ante duo secula à Papalibus corruptelis repurgatæ, & novis Doctrinæ puræ, Disciplinæq; sanctæ, Candelabris instructæ, qualis quantusq; fuerit circa salutis negotia ardor, multa

multa ab illis piè relicta, à nobis autem minùs quàm decuit observata, testantur monumenta. Quæ quia in summam quandam circa Annum 1570 collegerat nobilis quidam vir, *Johannes Lasicius*; ego autem in Authorem & librum hunc (mihi antehac penitùs ignotum, ut pote manuscriptum in Bibliotheca eatenus latentem) felici nuper casu incidi: eum Vobis, dilecti, communicare visum est eô fine, ut speculi usum præstet, ad videndum quàm enormiter à vestigijs Patrum exorbitaverimus, & sic à charitate prima recesserimus, nos quoq;. Fuit Lasicius ille gente *Polonus*, natalibus *Eques*, dignitate eâ ut à Rege Stephano ad exteros Principes legatus adhiberetur; religione verò *Evangelicus*, & confessione *Helveticus*: quam scil. Confessionem Polonia minor, Reformatores suos Tiguro nacta, suam fecerat. Is qvum majoris Poloniæ à Papatu repurgari cæptas Ecclesias, partim Augustanam, partim Bohemicam amplecti audiret Confessionem, percitus singulari quodam Zelo in id sibi putavit incumbendum, ut secedentium sic in partes Evangelij doctrinam profitentium, causas, differentiasq; veras, vestigaret. Profectus ergô in Poloniam majorem, exindeq; in Bohemiam, Germaniam, Galliam, nihil intermisit quod non scrutinio accurato pensitaret. Et quia illi constitutio Ecclesiarum, quæ regiminis formam majoribus nostris, *Fratribus Bohemicis*, usitatam susceperant, præ cæteris placebat, viditq; pauca de

ijs in publicum esse scripta, consignavit ipsemet nonnulla, ruditer primùm, ut omnia prima solent. Sed animadvertens multis bonis doctisq; Viris ea placere, inquisivit in eas materias penitiùs multos per annos, donec in magnitudinis justæ molem excresceret Volumen, dispertitum in libros octo: quibus *Originem, progressus, resq; tam prosperas quàm adversas, nec non Mores, Instituta, Consvetudinesq; Fratrum* &c describit. Hoc ille opus circa Annum 1585 ad Fratres misit: ut ista recognoscere, emendataq; & suppleta publicum Ecclesiæ in usum edere liberet, postulans. Vidensq; spes suas differri, misit castigatius etiam exemplar, Anno 1599, ad Illustrem Dominem Carolum, Baronem de Zerotin, Moraviæ paulô pôst ProMarchionem, ut ipsius authoritate ac impensis prodiret Opus, obtinere quærens, nec tamen sic etiam ut prodiret, obtinuit: ibi etiam alterum hoc exemplar captivum fuit detentum hucusq;. Fieri sanè potest, bonis illis Patribus non defuisse suas quasdam rationes, cur opus hoc in lucem mittere verecundati sint: at jam nõ desunt causæ pœnitendi, quòd non publici juris & usûs factum fuerit. Quicunq; ego sum, & quantilluscunq;, qui hæc scribo (sum autem unus è medio Vestri) negare tamen non possum, refrigescentis jam tum charitatis indicium apertum videri, quòd accensum hoc lumen (nescio propter quem invidiæ metum) sub modium abscondere, quàm exponere candelabro, maluerint:

rixariq; jusserint cum tineis & blattis, potiùs quàm cum vitiosis, jam tum à puritate sua degenerantibus, moribus nostris. Si enim hæc Ecclesiæ nostræ idea obversata fuisset oculis omnium, fortassis eò corruptelarum ventum non fuisset, quò eheu ventum est. In conspectu Dei & Vestro loquor, amici: evenisse nuper mihi, alectione hujus libri attenta, id quod sacri Libri testantur Josiæ Regi, postquam majorum negligentiâ amissus Legis codex in ruderibus fuisset repertus. Erubui profectò, puduetq; me mei & meorum: adeò pauci inter nos sunt, si modò quisquam est, qui Majorum illam pietatem referant. Cujus rei agnitionem, & conceptum inde dolorem, reditûsq; ad charitatem pristinam ardens desiderium, cùm optem omnibus mecum esse communia, cogitare cœpi de toto illo Lasitiano Opere vel jam tandem in lucem protrahendo: quia tamen difficultates usq; obstant, partem ejus saltem quandam dare animum induxi; nempe *Librum octavum, cum reliquorum Librorum excerptis quibusdam.* Id autem ideò,

1 Ut dispersi *Unitatis filij* scriptum hoc Lydij lapidis instar habeant, ad seipsos examinandum, num tales sint quales hîc describuntur? aperianturq; faciliùs omnibus oculi, ad pervidendum causas, cur Candelabra nostra loco moverit Christus, quemadmodum minatus fuit? nempe ob derelictam charitatem primam. Degeneravimus enim omninò, nos & patres nostri, à primo illo primæ Majorum charitatis fervore.

2 Ut hòc perspectô, non tam de amissa patria, bonisq; corporalibus, sed inprimis ob amissam tam pulchrè formatam Ecclesiam, in qua hæc nunquam satis laudata sanctæ Disciplinæ ratio tam pulchrè floruit, doleamus; & ad preces & vota, ut misertus nostri Deus, priscam illam Ecclesiæ faciem nobis restituat, inflammemur.

3 Ut jam quoque in dispersione nostra, ubicunq; hospitia nobis concedit Deus, sacrosq; cœtus (quantilloscunq; illos) habere permittimur, emendationis studium tantò ferventiùs inchoet; eòq; pœnitentes esse nos, & ad opera prima redire, in conspectu Dei, Angelorum ejus, Ecclesiæq; nobiscum adhuc militantis, contestemur.

4 Ut pleriq; juniores, qui illius etiam quæ superest Ecclesiarum nostrarum Disciplinæ pertæsi, eam aspernantur, & despiciunt, errorem suum agnoscant: videntes quantopere hæc Disciplinæ ratio à tot & tantis eruditis & sanctis Viris, laudata fuerit.

5 Et quia plerisq; nostratium vivendum est inter Augustanæ Confessinis socios (in Hungaria, Polonia, Prussia) his quoque libellus hic inservire poterit, ad colendam cum Fratribus Augustanæ Confessionis, majorum exemplo, mutuam Concordiam. Legant hæc nostrates: legat & vera genuinaq; Magni illius Lutheri posteritas, quantaq; nostratium cum Luthero, & ejus socijs, fueritconsociatio, expendant.

6 Etiam Libelli hujus publicatio servire hominibus

nibusnostris, qui nuperarū persequationum procellis abrepti, nos & hanc à majoribus salubriter tritam viam deseruerunt: ut nempe enormis in Deum ingratitudinis, & admissæ in animas suas atrocis culpæ, eoq; resipiscentæ veræ, dum gratiæ tempus est, faciliùs inveniant ansam. Quod ipsis largiatur Deus.

Visum autem est dare hæc in lucem, *Latinè pariter & Bohemicè. Latinè:* quia Lasicius hâc lingvâ scripsit, ut illud ipsum quod scripsit, exstet; atq; ut eâdem operâ alijs quoq;, nostra nō intelligentibus, usui sit, si esse potest. *Bohemicè* autem: ut Lasitium Vos etiam, qui Latina non intelligitis, intelligatis. Divisit verò Librū suum octavum iu Capita (XXXIII) ipsemet Autuor: Sed Capitum in versiculos divisionem ego adjeci, ut si quando exorbitantias ostendi opus fuerit, allegatio fiat facilior. Opus totum dari poterit in lucem, si volet Deus, alijs occasionibus: interim hæc legite, dilectissimi. Et quisquis leget, insonare credat auribus suis cœlestem illam vocem, *Memento unde excideris, & age pœnitentiam!* Plura in fine submoneri poterunt.

Valete, & corroboramini in Domino, & potentiâ virtutis ejus. Scribebatur 21 Augusti, 1649.

Caput I.

Commendat Fratrum Mores & Instituta, in genere.

SAtis opinor dictum à nobis est, libris septem superioribus *de Origine, progressu, & rebus tam prosperis, quàm adversis, Fratrum* nunc ratio propositi nostri postulat, ut *Mores Instituta atq; Consvetudines ipsorum referamus:* a istis ora reipsâ obturemus, qui insontes, omn suspicionum, calumniarum, conviciorum, maledictorumq; genere incessunt. 2. Sed *ita naturâ comparatum est, ut omnis virtus vituperatores habeat, sicut quævis res creata suum habet hosten.* 3. Sectâ Christianâ (ita enim vocatur à Tertulliano Apologetici Cap. 21, ac 39. & à Cypriano lib. 4. Epist. 5.) nulla alia est melior sanctior, certior: & tamen ei ubiq; contradicebatur, Lucâ teste (Actor. Cap. 28. 22.) & F

resis malefica dicebatur (Cap. 24. 14. 1 Petr. 2. 12). Apertè id Svetonius in Nerone, Christianorum Carnifice (Cap. 16.) *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ & maleficæ.* Et Tertullianus Capite 7. Apologetici: *Dicimur sceleartissimi de Sacramento infanticidij, & pabulo inde, & post convivium incestu: quòd eversores luminum, Canes, lenones scilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiam procurent.* 4 Postea igitur quàm Fratres ab immundo & discordi Papatu Romano in Bohemia (quod liber tertius ostendit) Anno Christi 1456 transierunt ad purum & concors Evangelium Christi, seq; gravi humanorum placitorum excusso jugo, in antiquam libertatem Christianam divinô auxiliô vindicarunt: rati nihilo se futuros beatiores, si quorum reliquissent consvetudinem, ijs non essent ut Fide ita & Moribus meliores, huic quoq; religionis parti, secundùm Fidem primas tenendi, inde ab ipsis sui cœtûs primordiis diligentissimè incubuerunt. 5. Etenim ne ampliùs majores eorum commemorem, quos & monumenta literarum, & Senum quos mihi videre, audireq; licuit sermones, sanctè vixisse testantur; dicam candidè quod sentio, *horum qui sunt hodiè mores atq; actiones omnes, viva quædam novi Testamenti interpretatio est.*

est. 6 Quæ quidem ita se habent omnia: non blandior, multò minùs assentior Fratribus, nec illorum causâ mentior; sed quod ipse vidi, ac censeo, id apertè dico. *Quod scimus loquimur,* inquit Christus *& quod vidimus testamur* (Joh 3.) Quibus verbis certissima quæq; nos loqui, ac quæ ipsi vidimus, audivimusq; testari, exemplo suo, unus ille Dominus & Magister omnium, docuit. 7. *Multi de optimo Statu Ecclesiæ, de Regno Christi in Terris, de Hierarchia Ecclesiastica, deq; Pastorum officiis, scripserunt multa: quorum pars maxima, apud hosce Fratres inveniri, atq; hinc cognosci, potest.* 8. *Mihi quidem Sacra Scripta legenti, & veram Ecclesiæ formã ut oculis, ita & animo, diligentissimè vestiganti, nullus alibi occurrit coetus hominum* (quod sine injuria cujusquam dictum esse velim) *qui id quod in iisdem Scriptis traditur, re ipsâ meliùs exprimat: vel, si hoc dicere odiosum est, qui exsequi magis conetur ac studeat.* 9 Sunt ubiq; fateor, ut mali ita boni: at ego nullo alio in loco plures simul, & conjunctè, verè pios, Deumq; reverentes videre potui, licèt multas jam per tot annos adierim, viderimque in Europa Ecclesias. 10 Quod non de honestis tantùm factis ipsorum, verùm etiam de vera ac viva in Christum fide, opera producente bona, intelligendum est. Nam *sicut credunt, ita etiam vivunt*, summo nisu

ad omnia DEO natis injuncta aspirantes. 11 Non me fugit, *ex eadem massa peccati nos omnes nasci:* verùm isti boni, nescio quomodo plùs aliis laboris (partim amore, partim metu Dei, salutisq; suæ studio) in ea evacuanda, purgandaq; impendunt. 12 Memores quippe vivunt illius præcepti Apostolici (1 Tim. 4. 7, 8) *Exerce te ad pietatem, promissiones habentem Vitæ præsentis & futuræ.* Et capite sexto: *Certa bonum certamen fidei, apprehende Vitam æternam.* Unde exercitio atque certamine assiduo nobis, peccato Evæ corruptis, opus esse evidens est: ut *cum timore ac tremore operemur salutem nostram*, quemadmodū nos docuit, qui usq; in tertium raptus Cœlum, quomodo sit adeundum Cœlum (sanctè viventium domicilium æternum) didicerat (Phil. 2, 12.): sicut & collega hujus, Petrus (2 Pet. 1. v. 4. ad 12.). 13 Quæ omnia, quemadmodum mihi facilia dictu sunt, ita ea vivis eorundem Fratrum vitæ Christianæ exemplis confirmare, haud erit difficile. 14 Nec ego arbitror reperiri posse sani judicij quenquam, quin is benè hominibus hisce cognitis, dicturus sit idem de iis, sensurusq; mecum; modò huic cognitioni aliquid temporis tribuat, nec eam ex uno alteróve die & congressu cum eis petat. 15. At si quis nihilominus sit, cui hæc quæ dico dicturusq; postea sum, incredibilia esse ... ipsi liceat

libeat etiam, aliquem cum iisdem consvetudinem inire: ita cognoscet, si modò de bonis benè judicare poterit, nec me falsa scripsisse (nam quid lucri ex falso) nec se tempus familiaritati illorum impensum malè collocasse, dicet.

Caput II.

Protestatio, nihil hic scribi hyperbolicè. Et de nomine FRATRUM, *cur eô utantur: sicut & UNITATIS Fratrum.*

QUod tamen non ita accipi velim, quasi modis omnibus absoluta & omnis prorsùs maculæ expers esset *Fratrum Ecclesia* (talis enim perfectio tantùm in Cœlis speranda est, non in Terris quærenda.) sed quòd minùs emendationis quam non paucæ aliæ egeat, multoq; minùs jure reprehendi queat. 2 Digna certè laude est, *Ecclesiæ Genevensis*, cœterarum in Gallia reformatarum Magistræ, pulcherrima illa Constitutio: *merentur & aliæ alibi gloriam,* quæ sunt ad regulas Verbi Divini hoc seculo instauratæ: verùm istis omnibus nequaquam est hæc nostra inferior, licet obscurior; futura credo nobilior, si tam multa quantùm istæ, ipsa etiam de se scriberet, scribíve pateretur. 3 Quàm verò iis

adolescentibus, qui ad honores (seu veriùs labores) aspirant Ecclesiasticos, cum his hominibus vel paululùm vivere, ne dicam in ipsorum se planè tradere disciplinam, expediret, nolo id pluribus persequi; ne cui non historiam scribere, sed causam Fratrum agere, videar. 4. *Profectò si quis eorum, qui aliquam cupiditatem cognoscendorũ bonorum virorum, & verorum Christianorum, habent, me audiret, huic ego omninò svaderem, ut hæc viva benè regendæ Ecclesiæ, ac vitæ Christianæ exempla, ipse suis aliquandiu intueretur oculis, quàm multos ea de re evolveret commentarios.* 5. *Est enim apud hos singularis quædam Ecclesiæ Christi administrandæ ratio, ita cum Scriptis divinis conveniens, ut libenter fatear, nusquam me videre potuisse meliorem.* 6 Quemadmodum autem ædificium absque amussi fabrili, non benè construitur, nec diu stat rectum: ita Ecclesia, nisi in omnibus ad amussim Verbi DEI instauretur, reformeturq;, deformis est semper, & infirma futura. 7 Multi ejus rei causam (quòd Fratres ordinem inter se tam constantem habent) hanc esse existimant, quòd non alios quàm spontè suâ aliundè venientes, seq; ad servandam Christianam disciplinam, & præstandam obedientiam adstringentes, cœtibus asscribant suis; cujusmodi quoque Origo fuit, (ut constat ex Actis Apostolicis) primæ illius Christianæ Ecclesiæ. 8 Verum id quidem

est: sed Pastorum quoq; industriæ, indefesso labori, vigilantiæ, sanctitati, non parum est tribuendum: quia qualis fuerit Sacerdos, talis etiam fit populus; Ducum virtutem imitatur miles; Magistratuum, Præfectorumq; suorum mores, seqvuntur subjecti; Præceptorum ac Magistrorum, discipuli. 9 Atq; hic est meus de Fratribus, quos datâ operâ adij, & cum quibus magna cum animi mei voluptate perdiu conversatus sũ, non falsus sensus. 10 Alius forsitan quis judicabit aliter: qvum suum cuique, quamvis turpe, pulchrum videri soleat: ut marito uxor, parentibus nati qualescunq;: sed ego, qui non solùm amator bonorum, sed etiam defensor veritatis, esse studeo, aliud de bonis sentire, nec volo, nec si vellem, inoffensâ conscientiâ possem.

11 Sed jam placet Instituta & mores ipsorum quàm simplicissimè referre, additis interdum apologiis, & Opere in Capita digesto (lectoris in gratiam) contra morem historicum; observatóque, ut ea quæ modò nudè dicta sunt, veris exemplis fulciantur: eóque lector habeat, quod vel imitetur si velit, vel si id nolit, seû non possit, saltem ne damnet temerè laudem merentes.

11 Pontificiorum judicia, quibus nihil nostrum placet, ac Veritas quam tuemur adeò odiosa est, ut sectatores ejus omni immanitatis & calumniarum genere semper persequantur, ac obruant,

[n]on multum moror: quorum, ut Pauli Apostoli, miseratur DEUS, quò omissis Patrum traditionibus, Patris Cœlestis voluntati adversis, eandem nobiscum lucem videant, veritatemq; amplectantur ac defendant. 13 Ante omnia verò [c]ognominis *Fratrum* dicenda est mihi ratio. [Q]uòd enim à plerisq; nunc *Waldenses* nunc *Pi[c]ardi* vocantur, fit hoc partim ignorantiâ, par[t]im malitiâ, atq; calumniâ: quia alij *sunt Waldenses Galli*, (quod jam libro primo & in fine sexti demonstratũ est) *alij Fratres Bohemi*, sive *Bohemici: qui nihil omnino unquam habuerunt commune, cum inverecundis & crudelibus Picardis*, quos fortunatissimus ille Johannes Zizka Principatu Wenceslai ignavi, Anno 1421. exeunte, penitùs extinxit, nondum audito Fratrum nomine. 14 Et *Fratres* quidem se ipsi appellant minimè arroganter, vel aliorum contemptu: sed primam illam, à qua omnia sua perunt, imitantes Ecclesiam, ubi credentes in Christum *Discipuli & Fratres* (Christo ipso id decernente, Math. 23; *Omnes Vos Fratres estis*) seriùs *Christiani*, dicebantur. 15 De qua primæva Apostolica Ecclesia scriptum testimonum, (fuisse totius multitudinis credentium cor unũ, & animam unam (Act. 4. 32.) si meis Fratribus tribuero, non aberrabo à vero, adeò enim hæc apud & inter eos sunt, ut haud aliam ob causam, Ecclesiam suam (lingvâ suâ) UNITATEM appellent. 16 De Fratrum alioqui cognomine hæc inter alia sunt in Sacris Bibliis exempla 1 Thes. 5. 27. *Adjuro vos, ut recitetur hac Epistola omnibus sanctis Fratribus* 2 Thes. 3. 6. *Subducite vos ab omni Fratre, inordinatè se gerente*. 1. Cor. 5. 27 *Si quis, cùm Frater nominatur, sit scortator.* Et Cap: 6 6: *Frater cum Fratre judicio experitur* Jacob. 2. 15. *Si Frater aut Soror nudi fuerint:* & alias sæpè. 17. *Quin & in Veteri jam fœdere Fratrum appellationem usurpare docuit ipse DEUS.* Ut Levit: 25 35 *Cùm attenuatus fuerit Frater tuus, ne accipias ab eo usuram & augmentum.* Exod. 21. *Si emeris Fratrem tuum, qui sit Ebræus, sex annis serviet.* 2 Mach. 1. 1. *Fratribus Aegyptum incolentibus Judæis, Fratres qui sunt Hierosolymis salutem.* 18 Duravit hæc interè fideles, Fratres sese mutuò compellandi, diù post Apostolica tempora, consvetudo. Sic enim Tertull. Cap. 39. Apologetici: *Quòd Fratres nos vocamus, non alias ob causas opinor insaniunt, quàm quòd apud ipsos omne sangvinis nomen de affectione simulatum est. Fratres etiam Vestri sumus, jure Naturæ, matris uniùs: etsi parùm homines Vos, quia mali Fratres, at quantò digniùs Fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem DEUM agnoverunt*, &c. 19. Fratres igitur sumus omnes Christiani, tàm spirituali quàm naturali affectu, & cognatione. Et certè ad Fratris nominationem amor mutuus quo-

quodam modo augetur; ac, si quando refrigescat, rursus incalescit. 20. Eadem est cognominis *Sororum* ratio: Utrumque iis invisum, quibus nec Fraternum nec Sororium est pectus.

Caput III.

De gradibus & ordine Ministrorum, in Ecclesia Fratrum. Et de officiis Episcoporum.

HAbent igitur Fratres in sua Congregatione *Presbyteros*, qui Latinis sunt *Seniores*, & his gradu inferiores *Ministros*, *Diaconos*, *Acoluthos*: ne Populum variorum ordinum nominem, cujus hi omnes sunt rectores & administri Seniorum, seu Episcoporum. 2. Omnes verò hi sunt *Clerici*, h. e. Personæ ministerio Ecclesiæ deditæ, & consecratæ: quippe vox *Cleri* nihil aliud Suidæ, homini Græco, quàm *Diaconorum & Presbyterorum cœtum* significat. 3. Nam *Laicos* Græci non initiatos Sacris appellant, ad curationem rerum sacrarum has ob causas non admittunt Fratres, quòd eos Jesus Christus, Spiritusque ejus, à clericis duci (Hebr. 13. 7.) pasci (1. Petr. 5. 2.) doceri (Matt. 28. 19. & Ephes. 4. 12.) monerique, tanquam ab illis qui præsunt in Domino (1. Thes. 5. 12.) voluerit. 4. Vocatis rursum ad Ecclesiæ ministeria potestatem dederit remittendi peccata (Joh. 20.) & concrediderit

derit claves Regni cœlorum, (Matth. 16. 19) hos solos appellans *Episcopos* (Philip. 1. 1.) *& Dispensatores mysteriorum Dei* (1. Cor. 4. 1.) *ædificatoresque Corporis Christi* (Ephes 4. 12.) *& domûs suæ* (1. Cor: 3. 10) *sal Terræ, & lucem Mundi* (Matt. 5. 13) *Operarios Messis* (Matt. 9. 38.) *Piscatores hominũ* (Mar. 1. 17.) *suos in agricultura cœlisti synergos* (1 Cor 3. 9.) & *Apostolos* i. e. *legatos Ecclesiarũ* (2 Cor. 8. 23.) *Ministros* deniq; *Evangelij* (Col. 1. 25.) 5. Quod item in veteri jam Ecclesia, omnia ejusmodi negotia ad solos Sacerdotes Aaronici ordinis Deus per Moysen retulit. (Quibus tamẽ in rebus Politicorũ quoq; seniorũ operâ utantur Fratres, non tacebitur suo loco, Capite XXII.) 6. Non servatur passim hodie pulcherrimus hic ordo, *ubi Jurisdictio spiritualis cum seculari confusa, Ministris Christi potestas Ecclesiastica, Pastorumque electio plebi, à Magistratu civili adempta est; ac ubi è Seniorum Politicorum sententia ita omne regimen Ecclesiæ pendet, ut illi Ministros, tot titulis honoribusque à Christo ornatos, nihil aliud quàm è suggestu prædicatores esse sinant, prorsus inversè Christi instituto*: quod ubi fit, ibi *plaustrum Boves trahit*, non hi plaustrum. 7. Quô rerum ordine, periit Pastorum auctoritas, periit Ecclesiastica disciplina: quod illud ipsum est, de quo apud Ezechielem conqveritur Deus, (Cap. 44. 8) *Non observasti observationem rerum sanctarum mearum, sed substituisti Observatores Observationis*

mea

meæ, in sanctuario meo, arbitratu vestro. 8. Nihil enim magis perturbat bonum Ordinem in Ecclesia, quàm *cùm authoritas Custodum Sanctuarij, Ministrorum Christi, subjicitur custodiæ eorum, quos custodit; & opprimitur, atq; evertitur, authoritate secularium.* 9. Turpis est Cleri & Papæ, in Ecclesia etiam Secularem gladium usurpans Tyrannica præsumptio: sed magis turpis, & Ecclesiæ noxia, Politicorum supra Solium Christi & Ministerij in Ecclesia ejus dominatio. Ista enim corporibus, hæc animabus, magis nocet. 10. *Episcoporum* nomen ex Apostolicis scriptis notum est, dictum Græcis à speculando; quòd ipsorum sit officium, gregis sibi à Christo cōmissi, Vitam, Fidem, Mores, speculari atque cognoscere. 11. Quod sane hi nostri diligentissimè faciunt, licèt rarissimè à suis ita vocentur; non tam dici, quàm potiùs esse, quærentes. Est enim id apud eos cognomen laboris magis, quàm vel dignitatis, vel opum; quæ nunc alibi faciunt, etiam sine re ipsa, Episcopum. 12. *Frater* illis est quilibet, cujusvis Ordinis ac honoris; ita fœmina Soror. *Seniorum* appellatio communior est crebriorq;. *Minister* idem qui & *Pastor*. *Diaconus* dignitate hoc aliquantò minor. *Acoluthus* assecla Seniorum est, & vitæ testis, de quibus infra. 12. Non est autem uni commissa, creditaque, omnis Ecclesiæ administratio: sed quatuor Epi-

Episcopis cordatis, qui sunt instar uniûs. Id verò eam ob causam, quô simul aliquot, si necesse sit, unum alicujus rei fraternè admoneant: ac ut plures eò meliùs citiùsq; negotia Ecclesiæ expediant, quibus nunquam solus unus monarcha satis fecit: nec res semper rectè geritur per vicarios. 14. Id quod olim similiter factitabat Latina Ecclesia, multis usa diversis locis, juris ejusdem & potestatis, Episcopis, usq; ad excessum Gregorij magni, Anno 604: cùm nondum stabilita esset talis Monarchia Ecclesiastica, qualem hodie videmus, & nostro malo sentimus. 15. Fratres de quatuor Episcoporum pari potestate decretum fecerunt, Anno 1500, celebratâ Synodo, postquam decessit Mathias Convaldius, cui antea Primatus sorte obtigerat, quemadmodum attigimus Libro II. Monuerat enim eos res ipsa, Papæ nimirum Romani tyrannis, Hussusque Magister, quàm sit periculosum ita unum præesse omnibus, ut is subjiciatur nemini. 16. Episcoporum jure divino ut idem officium, ita eadem est potestas, quemadmodum duodecim Apostolorum fuit, quibus eadem Legatio demandata erat: *Ite*, inquit Dominus, *Docete, Baptizate.* Item, *accipite Spiritum Sanctum.* Et: *Hoc facite in mei commemorationem.* Et Petrus: *Presbyteros inter vos precor, ego unâ Presbyter* &c.
... nostros, non alius ali-
...

auctoritate, gradúve, superior; sapientia & ætas provectior honoratur: ac ita sunt Majores inter alios, ut sint eorum Ministri (*Si quis vult primus esse*, inquit Christus Mar. 9. *erit omnium ultimus, omniumq; minister.*) Sic ergò hi præsunt aliis, ut iisdem, si ipsi quoque sint vitiosi & reprehendendi, subsint. 18. Nempe si Apostolici præcepti, *Subjecti alij aliis estote cum timore Dei*(Ephes. 5.21) Item, *Omnes alij aliis subjicimini*, (1 Pet. 5. 5) non fuisset oblitus Papa Innocentius, nunquam ita Sedem Romanam omnibus aliis prætulisset, ut eam omni humano judicio, contra omnia divina jura, eximeret: (quemadmodum legitur Causa 9. Quæst. 3:) 19. Apud hos diversæ animi dotes diversa faciunt officia. Exempli gratiâ, uni cura tradendi ea literis, quæ apud illos accidunt, & fiunt, quæq; scribi de Religione necesse est, committitur: alius est intimi consilij judex & moderator, Magistro Civium in Politica similis, qui, si varient aliorum Sententiæ, sic rem omnem prudentiâ suâ temperat, ut è duabus tribusue fiat una. 20. Horum unus in Majore Polonia, alter in Bohemia, duo in Moravia, ubi plures sunt illorum Ecclesiæ, resident: omnes Viri ætate, doctrinâ, judicio graves, ac illis ornati virtutibus, quas Paulus in Episcopo requirit: usq; eô, ut si quis Religioni eorum, in hac quæ hodie est sententiarum varietate, detrahat, vitæ detrahere,

re, nisi sit sceleratus, non possit, pij, placidi, mites, sobrij, severi, cauti, prudentes, providi, laboriosi, eloquentes; quos inter idem velle, idem nolle, de rebus omnibus. 21. Si quando unus ab aliis dissentiat, dant hi operam, ne diù permaneat in sententia, nisi fortè sit quàm ipsorum deprehensa melior: tunc enim eidem accedunt ipsi. 22. Cujusvis inter eos Episcopi officium in eo consistit, primùm, ut omnium suæ jurisdictionis ac parœciæ curam Paternam gerat; perspectisq; periculorum, undecunque Ecclesiis, aut primariis ejus membris, impendere queant occasionibus, prudentiâ prævenire, quantum possibile, doceat. 23. Secundò, ut Capita futuræ in Synodo consultationis, cœterorum ex ordine Presbyterorum judicio perpendenda permittat: iisdem consultis, Synodos indicet, congregatâq; Synodo, concione habitâ omnes officij admoneat, excitet, inflammet; tum deliberanda proponat, Sententias colligat, concludatq;, ignotos, loquaces, novicios, suspectos, à Concilio removeat, Statuta denique literis consignari jubeat. (24. Etiam tamen extra Synodi tempus Episcopi cum aliis Collegis, conventus privatos agere, casu aliquo incidente solent: ut ne quisquam quidquam, quod alicujus momenti sit, insciis aliis faciat.) 25. Porrò, Visitatio Ecclesiarum suæ Diœceseos Episcopo cuique incumbit: ut è testimonio

monio Seniorum plebis de Doctrina Pastorum, annon fortè diversum à recepta professione sequantur, intelligat; & num iidem sic vivant, ut Pastores Ovium Christi decet, cognoscat: cognitoq; in illos qui ob aliquod lethale crimen extra communionem Sanctorum ponendi sunt, sententiam ferat. 26. Ejusdem est Illustres dignitate atq; Nobilitate viros, quid Deo, quid Summo Magistratui, paribus, inferioribus, debeant, quotannis privatim docere, aut commonefacere: eosdemq; à luxuria, prodigalitate, superbia, inhonestis lusibus, ebrietate, contentionibus, injuriis, discordiis, Subjectorum suorum oppressione, aliisq; vitiis, dehortando, in sanctitatis studio continere. 27. Debet præterea cum adjunctis sibi ab Ecclesia Conseniorbus, incrementis omnium in sancto Pietatis studio attendere; sicuti & conservandæ puritati Doctrinæ: ut si erroris alicujus zizania, aut discordiarum semina, pullulare alicubi incipiunt, evellantur maturè. 28. Adversarii sicunde surgunt, tenetur se illis opponere, seu ore, seu calamo; seu per se, seu per alios: ut ne intempestivo silentio Veritas & innocentia deseri videantur, simpliciorumque animi labascant: Scripta tamen ejusmodi ne à quoquam, sine communi consensu & censura, divulgentur, cave[illegible] Mor[illegible] aliquo Seniorum, ordi-

nare alium (sed secundum suffragia Pastorum in Synodo congregatorum) Episcopi munus est: sicut & constituere per Ecclesias Seniores Politicos (quos Morum Censores vocant) Eleemosynarumq; Curatores: hortari denique omnes, ut dum vivunt valentq; Testamenta scribant, confusiones quascunque vitandi causâ. 30. Insuper, visitare quotannis Ecclesias (assumtis interdum, si opus, ex ordine Politico Senioribus) ut num omnia loco suo se contineant cognoscat, exorbitantias emendet, defectus autem (si qui in Pastore, aut ejus administris, pauperibusvè sustentandis, incidunt) ex beneficentia aliarum Ecclesiarum suppleat. 31. Ejusdem est in numerum Acoluthorum, Diaconorum, Ministrorum, idoneos cooptare, & ut hi idoneè debitis exercitiis præparentur, providere; Pastores autem vitio aliquo notatos coarguere ac emendare; immorigeros verò & inemendabiles, Synodi judicio subijcere. 32. Et quis omnes illorum verè paternos labores, curasq;, enumeret? Hæc enim cuncta agunt in Ecclesia, quæ boni Patres familiâs domi solent, ut statum ejus salvum conservent.

Caput IV.

De Co-episcoporum, seu Conseniorum, officiis. Et de recipendis adolescentulis ad S. Ministerium se offerentibus: primóque illorum gradu, Acoluthatu.

CReandi autem duodecim, aut etiam plures, Conseniores, (quos Episcoporum adjutores ejusmodi esse arbitramur, quales Pauli Apostoli fuêre, Aristarchus, Marcus, Justus, Lucas, Timotheus, cœteri, qualesq; antiqui Chorepiscopos vocârunt) eadem ferè ratio est, quæ in Episcopi electione, ordinationeque, servatur. 2. Convocato enim Concilio proponit Episcopus, augeri oportere Seniorum numerum: ut semper sint in Synedrio totius Ecclesiæ Fratrum ad summum viginti, aut si minimum, duodecim Viri graves, consilio pollentes. (Nam cùm sint varia, & multis vitiis laborantia hominũ ingenia, cavent Fratres, ne nimis multi ad consilia Ecclesiastica adhibeantur.) 3. Quoties igitur eligendus est Consenior, aut plures, Episcoporũ unus congregatæ Fraternitati concionẽ habet de Seniorũ officiis, talesq; è toto Pastorũ cœtu circũspectare jubet: qui electus, & ritu quem Cap. XIV. infra de scribã confirmat9, cœterorũ Collegio asscribitur.

4. Habe-

4. Haberi verò solet ætatis quoque ratio, ut ne Candidatus adminimum triginta quinque annis minor sit: quod & Justiniano Imp. visum est, in Authenticis Collatione 9: ac (Volaterrano scribente) Bonifacius Papa, qui Zosimum secutus est instituit, ne minor annis triginta Presbyter ordinaretur. 5. Declarati eomodo, ac cum voto omnium cœteris Consenioribus asciti, locũ supplent Episcopi, sive absentis, sive ægrotantis, sive in re aliqua accupati: eodemq; jubente sententias synodicas colligunt, dictis scriptisq; aliorum respondent, jussi Acta conscribunt, sui tractûs Ecclesiarum curam suscipiunt; hæ verò, suis cum Pastoribus, obsequentes se ipsis futuras spondent. 6. Eorundem est, si quid emendationis egere animadvertant, ad Episcopum id referre, aut in Synedrij consessu liberè monere, interimq; arcana Consilij celare, decîsis subscribere, vocanti Episcopo se sistere, de Collegis benè persvasos amore eosdem complecti, & cum iis, quatuorq; Antistibus, seu Episcopis, Presbyterium illud, (sive senatum Ecclesiasticum) de quo 1 Tim. 4. v. 14. Apostolus loquitur (ipsi autem secretum Consilium, respectu generalis illius, cui intersunt omnes Synodicè congregati Ministri, appellant) constituere. 7. Ex horum corpore desumuntur *Episcopi*, quos Hieronymus (ad Evagrium Tomo tertio, in 1 Petr, 5.) è Græco *Superintendentes* vertit

tit; utrisque tamen hisce subjecti sunt Ministri, Diaconi, Acoluthi, reliquiq; adolescentuli Clero dicati. 8. Plures gradus & ordines, veteribus & Pontificiæ Ecclesiæ usitatos, (*Ostiariorum* scilicet, *Lectorum, Exorcistarum, Suffraganeorum, Cantorum, Archidiaconorum, Scholasticorum, Præpositorum, Diaconorum, Custodum, Vicariorum, Canonicorum*, aliorumq; in functionum minutias dissectorum) suis Ecclesiis minimè esse necessarios judicant Fratres. 9. Quos autem retinent, Acoluthos, Diaconos, Ministros novellos, Presbyteri in suis Contuberniis, veluti parentes liberos, à teneris ita enutriunt, & educant, ut an sit Mundus ignorare videantur; in amore tantùm Christi, & studio erga ejus sponsam Ecclesiã, exercitati. 10. Hos inter primi sunt, ut gradatim de singulis dicam, Adolescentuli, parentum suorum voluntate Ministerio Ecclesiastico ita destinati, quomodo Samuel quondam, Annæ genitricis suæ consilio, Heli Sacerdoti addictus fuit. 11. Docentur hi principiò Literas, deindè Catechismum breviorem, postea novum Testamentum, ac deinceps certa majorum suorum scripta (quô ætate tenerâ, omnium capacissimâ, circa omnia sensum Ecclesiæ verum imbibant,) lectitare, memoriæq; mandare, jubentur. 12. Quorum ut primùm adolevit ætas, quidam illorum (proindole in singulis apparente ad) Lingvarum & li-

& liberalium Artium studia, quantum eas Theologos cognoscere necesse est, adhibentur: hebetiores autem artes Machanicas, quas ipsimet sponte delegerint, quæq; sordidæ non sint, ab illarum Magistris propterea addiscunt, ut deinceps otium, malorum fomitem, vitent, vitæq; grandiori subsidium, & adversæ fortunæ levamentum, sibi parent &c. 13. Annis aliquot hâc ratione exercitati ac probati, in ordinem Acoluthorum (quos ipsi vernaculâ lingvâ Discipulos vocant) in Synodo cooptantur, acceptis plerunque à Senioribus justâ quâdam ratione, pro ingeniis eorum, novis (plerumque Biblicis) cognominibus: quemadmodum & Christus quibusdam suis indiderat, 14. Nam Simeonem cognominavit *Petrum*, à *Petra*, quæ Chaldæis *Kepha* est; Jacobum & Johannem fratres *Boanerges*, id est filios tonitrui, (quod integriùs Ebraicè dicendum esset *Benereges.*) Lebbeus cognominatus fuit, Thaddeus: de Saule autem Chrysostomus (in 13. cap. Actor. homilia. 28.) inquit, *Nomen ejus mutatur cum ordinatione, id quod & Petro accidit.* 15. Quo in ordine salutem suam, in quo ea consistat, officiaque Christiana, ad formam & normam Vitæ ipsius Domini JESU, discere jubentur, & quomodo Fidem sine operibus mortuam esse Frater Domini Jacobus asseveret. 16. *Vita verò Christi potissimam partem*, in qua se-

 exer-

exerceant sedulô, statuere docentur *animi humilitatem, patientiam, laborem, rerum mundanarum contemptum, & proximorum dilectionem seu charitatem:* Quod ut intelligant meliùs, commendantur illis octo Beatitudines, de quibus Salvator (Matth. 5. 3. &c.) 17. Admonentur & creberrimè, ut Seniores suos revereantur, illis cohabitare, aliquoque exeuntes sequi, (unde & Græcum illis cognomen, Acoluthorum, quod Latinis *Assectatores* sonat) gaudeant, nihil præter illorum voluntatem agant, non domo exeant, non jurgentur, non maledicant, aliis omni virtutum genere præluceant. 18. Item ut ex scriptis, ad legendum sibi traditis, sanctè vivendi ac benè credendi Regulas discant; quæ Seniores de rebus Ecclesiæ, non prodita fortè literis, referunt (quorum superioribus libris non minima pars recensita jam est) ea aliis postea tradituri memoriæ mandent. *Interroga* (inquit Scriptura) *Patrem tuum, & narrabit tibi; senes tuos, & dicent tibi.* (Deut: 32. 7.) Iterumq;: *Auribus audivimus nostris, & Patres nostri narraverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum.* 19. Committitur verò Acoluthis adultioribus, ut reliqvæ juventuti Catechismum instillent, in adhortationibus domesticis ad preces, ordine; ac indè etiam in sermone ad Populum habendo in Templis, sensim & gradatim, exerceantur. 20. Domesticorum & peregrè venientium pedes lavare honor illis est, sibiq; & Pastori suo labore manuum certis horis victum quærere, & alia ejus modi munia, quæ res familiaris postulat, obire, voluptas: quibus omnibus ingenium, obedientia, & fides ipsorum, probatur & enitescit. 21. Qualiter à Paulo exercitatos fuisse, *Titum, Timotheum, Philemonem, Clementem*, aliosq; comites & socios ipsius, verisimile est. *Permane*, inquit, *in iis quæ didicisti, quæq; tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, teq; à puero sacras literas novisse* (2 Timo. 3. v. 10, 14, 15.) Item: *Hæc proponens Fratribus, bonus eris minister Jesu Cchristi, enutritus Verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es.* (1 Timoth. 4. 6.)

Caput V.

De gradu Diaconatûs; & Ministrij, seu Pastoratûs.

EX Acoluthis certâ ordinatione (de qua suo loco) fiunt Diaconi. 2. Qui Verbum DEI publicè interpretari incipiunt; Ad Sacram Cœnam accedentibus Poculum Dominicum præbendo, Pastorem (si fuerint jussi, & requirat necessitas) juvant; aut certè ne quis

quis extra communionem ejectus se ingerat, attendunt: Infantes recèns natos, si Pastor jubet, baptizant, adultiores autem factos, & Catechumenos, rudimentis Christianis instituunt: omnium in Fraternitatem receptorum domos & nomina memoriâ tenent; jussos venire ad Presbyterum accersunt; cum famulis Opificum diebus Dominicis, horis pomeridianis, auditam in concionibus doctrinam repetunt, descriptaq; illorum officia (de consvetudine cum alijs habenda, de fidelitate Dominis suis exhibenda, deq; modo in cibo, potu, somno, vestitu, servando, malis exemplis vitandis, injurijs patienter ferendis, lingva frenanda &c.) legunt ac relegunt. 3. Missi diebus Dominicis in pagos concionandi gratiâ (Acolutho vel puero quopiam comitante) nunc unum, nunc aliquot milliaria, pedestres eunt: Sed quos antè Pastor, qualem sint in enarrando Evangelio dispositionem secuturi rogat, auditosq; informat, & quô potissimùm (secundùm temporum, locorum, necessitatumq; circumstantias) collimandum sit, edocet. 4. Inter sunt ijdem judicijs Censorum Populi; quô ab illis praxi ipsâ incharitate conservandi proximos, aut ineandem reducendi, rationes addiscant: 5. Quando Senioribus præsentibus concionantur, eorum censuras æquis animis ferre, ijsdemq; populum Pastori suo, quemadmodum Johannes Christo

Christo, præparare adsvefiunt. 6. Utque Ecclesia in onere Ministros alendi levetur, manibus suis aliquid laborare, & aliâs sibi imperata fideliter exsequi, condocefiunt Diaconi: quemadmodum gradum illum accipientes polliciti sunt. 7. Si autem quispiam horum, ut & Acoluthorum, duriusculum sibi sentiat eum, quocum vivit, Pastorem, liberum illi est, impetratâ ab ipso placidè abeundi veniâ, conqueri de injuria apud Seniorem tractûs ejusdem. 8. Appropinquante autem tempore, quô ordinandi sunt Ministri, seu Pastores, requiritur de omnibus per Ecclesias viventibus Diaconis, testimonium illius Ecclesiæ, cui quis serviit, nùm superiori gradu digni esse videantur. 9. Nullum enim Fratres ad hunc jam Ministerij gradum admittunt, nisi per omnia exploratum, & ab omnibus bonum testimonium habentem (& quod primùm dicere debebam, honestis parentibus prognatum): quiq; ætate trigesimum propè attingat annum: quemadmodum & in Christo ac Johanne Baptista exemplum habemus; Levitis autem sub Veteri lege tametsi vigesimo quinto ætatis anno munus auspicandi potestas fuit (Num. 8. 24.) alibi tamen trigesimus quoque nominatur (Num. 4. 3) 10. Quanquam Fratres nec juvenes Timotheos, modo ij ad docendos alios idonei sint, & sermonem veritatis rectè secare queant (2 Timo. 2.

15.) aspernentur. (Qua in re, ut in multis aliis, graviter peccat Ecclesia Pontificia, & impuberes ad sua Sacerdotia, & ad docendum ineptos, admittens.) 11. Cùm inaugurandorum Ministrorum venit tempus, (plerumque tertio quartove anno) indicuntur per singulas Ecclesias jejunia, ut Deo Servi ipsiûs futuri, eô studiosiûs ab omnibus commendentur. 12. Deinde confluunt in locum indictum omnes Presbyteri, cum Ministris junioribus (nimirum quomodo Apostoli, Mathiam Judæ Iscariotæ substituturi, convenerant) accurrit etiam è vicinia plebs, atq; Equester Ordo: ideò, ut quæ Ministris injunguntur officia, audiant, consecrandosq; nôrint. 13. Atq; sicut aliis in rebus omnibus, ita hîc etiam, servatur Ordo: ut Episcopi, Seniores, Ministri, Diaconi, Acoluthi, & Adolescentuli, suis quiq; locis, quietissimè sedeant: quô autem Ministrorum ordinatio fiat modo, id infra suo loco docebitur. 14. Ita ordinati dantur à Senioribus Ecclesiis, quæ eos expetierint; eâ lege, ne quis eorum otium se, sed summum negotium, adeptum sentiat: nemini scilicet se ingerere in locum aliô pingviorem permittitur, toleratur patienter paupertas, feruntur in commoda. 15. Mandatur etiam illis, ut suæ creditos fidei peccata seriò odisse, in solo Christo remissionem delictorum sperare, piâ vitâ Deo placere, consultè nunquam peccare, omnia

omnia ferventi charitate & conscientiâ bonâ agere, doceant: studioseq; veluti solertes ac providi Domûs Dei Oeconomi, quô quis modo in Dei hominumqve conspectu versetur, & quâ necesse re habeat, videant. 16. Item; ut Conciones, omnesque ad populum sermones, non è lacunis humanis, sed ex Canonicorum Scripturarum laticibus, hauriant; eos qui auditione Verbi divini delectantur singulariter ament, alios eôdem disponant, cohortentur, excitent; eos denique solos, qui vitam professione Christianâ dignam instituunt, ad Cœnam Domini admittant. 17. Singulas itidem credentium ædes statis temporibus visitent, & nûm Patres aut matres familiâs mane & vesperi, anteq; & post cibum, suis cum domesticis Deum invocent ac celebrent, expiscentur. 18. Adolescentulos denique quot alere possunt, tot secum habeant, & ad Ministerium erudiant; sacra Biblia nunquam non manibus terant, ac publicæ Confessioni fidei adhereant.

Caput VI.

Pastorum Vita, Moresq;, describuntur.

HÆc, aliaq; his similia, sunt Pastorum munia: in quibus ita se hi gerunt, ut nullâ unquam difficultate, aut indigentiâ, vel calamitate,

tate, avocari se ab officio sinant; aut ullis adversariorum minis, ulláve sæviente pestilentiâ, absterreri se patiantur. 2. Et tamen in tali tantaque illorum vigilantia fieri non potest, quin semper in regno Dei sint quinq; illæ virigines fatuæ, prudentibus intermixtæ, frumentoq; interspersæ paleæ, & tritico Lolium, mali simul cum bonis pisces: adeò hîc nunquam vivitur cum perfectis. 3. Considerant autem diligenter Seniores, quali Doctore cuivis Ecclesiæ opus sit. Nam quæ freqventior est, huic datur Pastor majoribus Spiritûs Sancti dotibus ornatus; quæ minus freqvens, inferior. 4. Si quis pòst deprehendatur esse (aut vitio ætatis, alioque casu, fiat) parùm firmus, parumque aptus & utilis, huic alius firmior, aptiorque sufficitur, qui tantò plûs Ecclesiæ prosit. 5. Si quis autem pravis exemplis Populum offendat, nec monitus aliquoties affectus suos, moresq; vitiosos, cohibeat, adeoq; Senioribus etiam obedire renuat, corripitur gravissimè, præsertim in Synodo, ad terrendos cæteros: atq; si omninò non emendat, tanquã sal insipidus, & malus operarius, à pascendo grege Domini amovetur: imò fit nonnunquam ut excommunicetur etiam; à corpore Ecclesiæ, tanq; membrum putidum, avulsus. 6. Æquum est enim, ut qui se ipse regere vel nescit, vel non potest, vel non vult, huic in alios adimatur imperium: quod tunc

tunc fit, cum is ob aliquod mortale peccatum Deo redditur exosus, & Spiritum Sanctum contristat. 7. Cujusmodi hominis, ut est fides mortua, ita precatio Deo ingrata, ideòque inefficax, & labor omnis irritus instructuosusq;: quò Apostolus respiciens, jubet *Diaconos* (qui *Ministri* sunt Latinis) *ministrare, at sine crimine* (1 Tim. 1. 10.) Presbyteros autem ab omnibus habere testimonium bonum (Ibid. 9.) 8. Verum enimverò raró apud Fratres Pastores excommunicari contingit. Dei enim metus, quem suis summoperè inculcant, omnes intra metas continet, & officij meminisse cogit. 9. Quando mutandus est Ministro locus, (sive quòd ad majorem Ecclesiã transferendus sit, sive quòd hîc interveniat aliud, quod ejus minuat auctoritatem) tùm verò supellex domestica, quæ plerunq; communi Ecclesiæ pecuniâ emitur, succesori ej9 relinquitur. 10. Ita ordinatis, & ad opus Domini coordinatis Ecclesiæ Pastoribus, omnibus est una eademq; tã credendi, docendiq; quàm vivendi, regula: secundùm id quod Philippensibus præcipit, *ut in eo ad quod pervenerant idem saperent, in eademq; permanerent Regula* (Phil. 3. 16.) 11. Conspicitur itaque inter eos, non quidem nimia Seniorum potestas, sicut quidam malè ea de re edocti putant: Sed *pulcherrimus ille Ecclesiasticus ordo, & miranda obedientia, de qvibus tam multa sunt in* divinis

divinis Oraculis, & præcepta & exempla. 12. Invigilant, regunt, ædificant, Seniores: parent illis, honorem exhibent, & in ædificanda Domo Dei adjumento sunt Juniores; seq; regi, duci, pasci, moneri, argui, castigari, patitur universus Cœtus. 13. Verè hoc illi *Ordinis conservationem* vocant; quia ubi hæc non sunt, ordo non est. *Seniores* (inquit Petrus Cap. 5. 2.) *Pascite Dei gregem, curam illius agentes.* Et Paulus (Actor. 20 28.) *Attendite vobis & universo gregi, in quo constituit vos Spiritus Sanctus Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei.* Et 2 Cor. 2. 9: *In hunc finem scripsi Vobis, ut cognoscerem probationem vestri, an in omnibus obedientes sitis.* 14. Dispiciunt ijdem Presbyteri, ceu veri Ecclesiæ Patres familiâs, nequis deficiat à gratia Dei, ne ingratam superis vivendi viam ingrediatur, néve inimicus ille, etiam nocte vigil, serat in agro Dei Zizania: præterea vel domi opperiuntur, dum quis ad eos consilij de rebus capiundi, alteriúsve rei gratiâ, veniat; vel aliquid agunt aliud, ita ut sint semper rebus varijs occupati: Indulgere genio, quod fit alibi, nec fas est, nec eis lubet. 15. Aliâs malè audientem Pastorem Seniores ad se, vel è longinqvo venire jubent, ut ejus obendientiam cognoscant, ac superbiam, si quæ in illo sit, retundant, si quod vitium corrigant, si delictum castigent: adeô omnia citô avertunt, quæ neglecta detrimento forent

rent Ecclesiæ; ac omni curâ serviunt magis aliorum quàm suis commodis. 16. Student dies & noctes, ut omnes concordes sint, nihil de via majorum deflectant, quàm sanctissimè vivant: nō ignari, Deum ut pietate fidei conjunctâ placari, ita impietate, malæ fidei effectu, offendi: & Dominum cuidam, *Paucíne essent, qui salvi fierent,* quærenti, non aliud quàm, *Contendite intrare per angustum Portam,* respondisse (Luc. 13. 23, 24.) 17. Et Chrysostomus (super Cap. Matth. 24.) scripsit: *Priùs ex moribus cognoscebatur Ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum, aut omnium, aut multorum, erat sancta, quæ apud impios non erat. Nûnc autem* (inquit) *aut tales, aut pejores facti sunt Christiani, quales sunt hæretici, aut gentiles; quin major continentia apud istos invenitur, quamvis in* schismate sint. 18. Quapropter magni facit Pastores suos Ecclesia, illud de ipsis sibi dictum persvasa: *Qui vos audit, me audit* (Luc. 10. 16. & Matth. 10. 14.) *Qui vos recipit, me recipit.* Et Phil. 2. 26. *Excipite Epaphroditum fratrem & collegam meum, cum omni gaudio, & tales in honore habete.* Item (1 Tim. 5. 17.) *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* 19. Qvum in domum alicujus sui auditoris Pastor venit, magnam ei reverentiam omnes exhibent, adventu ipsius lætantur, & ægrè à se dimit-

mittunt. 20. Hic autem ad eos non venit sine causa, nec ab eis discedit sine fructu; non suo sed illorum, in quos aliquid beneficij è thesauris Verbi Dei contulit; hos quidem consolando & confirmando, si in mœrore, aut imbecilles sint (libenter enim ægrotos, viduas, ophranos, invisunt); illos cohortando, si in pietatis studio remissos aut frigidos videant; alios erudiendo, si imprudentes; non nullos terrendo, si dissolutos & securos animadvertant. 21. Ita unoquóque ad omne officij genus instructo, & sacris precibus (si vel manè vel vesperi veniant) cum omnibus peractis, domum repetit. 22. Vocati ad prandia, cœnas Convivia, virorum nobilium ac opulentorum invitissimè, rarissiméq; veniunt; cùm ideò, ut ne audiant non audienda, videantq; non videnda; tùm ne agant, non agenda. In his enim duobus omnis hominum error consistit quòd faciunt omittenda, aut omittunt facienda 23. Si tamen veniant, protinùs post cibum actis Deo gratijs (canunt autem libentiùs) omissis convivatoribus atq; convivis, domum redeunt. 24. Non sunt illis in more propinationes, ebriatatis invitamenta & incitamenta; tantò minùs Choreæ. 25. Sicut edit, ita bibit quisque, quando, quoties, & quantum vult: unus atq; alter vini haustus satis facit naturæ, Cervisia verò sitim restingvit; omnia sobriè & modicè. 26. Neq; enim

enim temerè Apostolus cavet (1. ad Titum) *ne Vinosus sit Episcopus* (quod & ad Ministros atq; Pastores pariter referendum est): quippè non ignotum est, quàm facilè Vinum, si plûs satis bibatur, mentem perturbet, memoriam & hebetet, bilem excitet, ad verbera impellat, maledicta cieat, loquacitatem pariat, ac errorem in exsequendo officio inducat.

Caput VII.

Pastoralis Ministrorum, circa Populum in ordine continendum, cura.

PRovident ijdem, nequid desiat orbis, viduis, pauperibus, ægrotis, néve quis damno afficiat alterum. 2. Quæ Seniorum cura id adfert commodi, ut in unitate eorum, neq; mendicum ullum, vicatim obambulantem stipis causâ, videas (nisi fortè quis alterius Ecclesiæ fratrem se esse simulet:) nec ullas simultates diu durantes audias. 3. Nec enim ferunt, ut se quis Fratrem nominet, interea verò luxû vitæ sequatur, pravis suis moribus iram divinam adversus Ecclesiam talia tolerantem irritet, intemperantiâ alijsve flagitijs bonos offendat, 4. Quo in numero ponunt potatores, saltatores, aleatores, fœneratores, otiosos, gulæ & voluptati, luxuriæve, deditos,

ac hu-

ac hujus generis alios. (*Ne commisceamini*, inqui Apostolus, *cũ eo, quicùm Frater nominetur, sit scorta tor, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebr osus, aut rapax; cum ejusmodi ne edatis quidem* 1. Cor, 5. 11.) 5. Si qui tales esse incipiant, admo nentur identidem, ut vitijs abstineant ideò, qui ad rectè agendum, pieq; vivendum, renati sin in Christo; DEusq; Pater sicut ipse Sanctus est, ita nos, quos sibi regeneravit in filios, Sancto esse velit (Lev. 19. 2. 1. Petr. 1. 16.) nec eum quisqu absq; Sanctimonia visurus sit (Hebr. 12. 14.) 6. Si quos nec pudere facinorum, nec pœnitere malorum, sed ita esse pravos ut flecti non possin, animad vertunt, tum eos adhibitâ illâ sibi à Deo concesâ potestate, de qua Apostolus, castigan & increpant, eô fine ut corrigant. *Dedit* (in quit) *nobis potestatem ad ædificationem, at non ad eversionem vestri* (2 Cor. 10. 8. & 13. 10.) 7. Cæte rùm extremi peccati extrema pœna est, *à Sancto rum communione separatio*: de qua infra Capite XXIV. 8. Neq; enim Ministri aliud jus in Ecclesi am habere permittuntur, quàm *Regni Cœlorum Claves, à Christo Johanni, Andreæ, Petro, Paulo*, id est veris Pastoribus, Ecclesiæq; rectoribus, *traditas*; quibus præcludant aditum in Ecclesi am (regnum Cœlorum appellatam) pervicaci bus; permittant autem ingressum resipiscenti bus. 9. Nec verò infimæ tantùm sortis homi nes,

nes, verùm etiam *Episcopi, Seniores*, ipsi *Ministri, Comites, Barones, Equites, præcipua Ecclesiæ capita*, uti patet, huic Disciplinæ subjecti sunt: peccare diu impunè licet nemini, nec plus uni, quàm alteri, indulgetur: æqualia peccata plectuntur æqualiter. 10. Mirifici autem sunt compescendorum hominum vitiosorum artifices: non ullâ arte captiosâ, sed prudenti quâdam pietate, quâ præditi, facilè alios ad ea quæ bona sunt amplectenda inducunt; nisi quis ex eo sit hominum genere, cui ne quidem ipse Paulus Apostolus, licet omnium disertissimus, meliora persuaderet. 11. Et quamvis se Presbyteri illorum adeò demittant, ut alijs, tàm ægrotis infirmisq;, quàm valentibus & firmis, cùm postulat necessitas, libenter inserviant: in hac tamen tali demissione eorum (quam Christus ijs qui majores sunt præcipit, *Luc.* 22. 26.) in est quædã veneranda gravitas, quã mali extimescunt, boni suspiciunt. 12. Testis est omnis hujus ordinis ac disciplinæ eorũ, *Andreas Fricius Modrevius Polonus*, quantũ quidẽ illi eos nosse licuit, cùm ita inquit (Cap. 27. libri de Ecclesia) *Sunt populi in Bohemia, cognomento Fratres, quos alij Picardos, alij Valdenses vocant: apud quos ferunt omnibus interdictum esse comessationibus ac ebrietatibus, Choreis, ludis Chartarum & Talorum, impudicis tactibus, complexibus, & osculis illicitis mulierum, amo-*

ribus turpibus, & idgenus facinoribus aliis, unde infinita proveniunt mala. 13. *Violatores ejusmodi interdicti, post unam & alteram admonitionem ex cœtu eijci, communione omnium rerum privari, nec priùs cœtui restitui, nisi pœnitentiæ signa publicè dederint.* 14. *Cùm igitur naturâ ita sit comparatum, ut homines inperpetuo otio vivere nonpossint, nec Fratribus ob hujusmodi interdictionem fas sit diebus ad ludum & res ludoctas animum adjicere: ex hac re fieri, ut negotiosis in laboribus operum sese exerceant, sacris autem in ædes alicujus confluant, & alij legant (habent enim libros sacros sua lingvâ conscriptos, multiq; illorum nôrunt literas) alij audiant.* 15. *At propterea inter eos esse, & artifices rerum multarum optimos, & per multos in rebus sacris eruditiores, quàm sint apud nos multi Sacerdotum.* 16. *Neq; illud est reticendum, esse in illorum Ecclesiis institutũ, ut Ministri peculiares creentur, qui infirmos invisant, eisq; operam tribuant, vel docendo, vel consolando, vel alia officia præstando.* 17. *Quid simile apud nos? multi homines palàm, impunè, & flagitiosè viventes, accedunt statis temporibus ad Presbyteros, tùm Confessionis, tùm sacræ Cœnæ causa; cumq; id annis recurrentibus faciant, nec ulla in eis vitæ emendatio appareat, tamen nullo negotio & absolutionem à peccatis obtinent, & in communionem Cœnæ admittuntur.* 18. Hæc ille, cùm Anno 1548 Volborij, ubi Præsidem egit, scriberet præclaros illos, *De emendanda Republica* libros, antequam ad

Concilium Tridentinum, cum aliis legatis, à Rege suo mitteretur. 19. Atq; ut quondam (Clemente id Alexandrino prodente) vetitum Christianis fuit artes fallaces exercere, ita plebi Fratrum interdicitur; *Ne invitis Pastoribus suis cauponentur, seu aliud quod mercaturæ aut vitæ genus,* in quo sit hominem circũvenite, pejerareq;, necesse, suscipiant. 20. Item, ne Matrimonia clandestina, aut religione inæqualia, contrahant; ne pecuniam mutuentur, quampòst ægrè reddant; ne pro incertis debitoribus spondeant; néve maledicant, iráexcandescant, litigent, alios condemnent; ne in Cauponis compotent, Chartarum tesserarúmve ludis tempus fallant, perdantq;, & hoc pacto æs vel acquirant, vel amittant; ne mares cũ puellis saltent, aut colludant, curtas nimis pellucidásve vestes gestent. 21. Si se aliqui in his, & ejusmodi aliis, immorigeros præbent, nôlunt Pastores conscientias ipsorũ vanis de remissione peccatorũ, quæ tàm sponte patrantur, verbis, securas redere: nôlunt Deo invisis sigilla ejus gratiæ, quæ Sacramenta dicuntur, impertiri. 22. Habet & Nobilitas sibi præscripta officia: quorum summa eô redit, ut plebejos antecedat, non contemnat; quibus imperat eos adjuvet, non opprimat; quorum laboribus fruitur, ijs vicem rependat; fortunarum suarum non dominam, sed dispensatricem, se esse sciat; Magnis Subdito-

rum sudoribus parta ne dilapidet, verùm illis in gloriam Dei & proximorum subsidia utendo, inopum rationem habeat. 23. Omnibus verò promiscuè hoc præcipitur, ne inscijs, multò minùs invitis, Pastoribus suis quidpiam novum capessant, quod inconsideratè susceptum vel dedecus, vel damnum, ipsis adferret. 24. Non quòd Seniores adeò curiosi sint, aut se libenter civilibus negotijs involvant; Sed quò suos, quorum illis reddenda est Deo ratio, in omni vitæ genere salutaribus consilijs instruant.

Caput VIII.

Domesticus Ministrorum Convictus.

ILli porrò omnes, qui Senioribus suis cohabitant, omnes suas tam diurnas quam nocturnas actiones, ita temporibus divisas habent, ut nò diutiùs somno indulgeant, quàm eis per tempus liceat, quod tintinnabuli sonitu significatur. 2. Nec tamen rursum ita operis manuarijs affixi, deditiq; sunt, quin ipsis magna pars temporis, præsertim matutini, plerunq; usq; ad prandium, ad studia literaria supersit, atq; concedatur: quin & tùm, cùm quid manibus agunt, Sacra & Majorum suorum scripta ob oculos posita interdum legunt. 3. Qui eorum Latini sermonis rudes sunt, hi ignorantiam

rantiam illam lingvâ patriâ legis divinæ mirabili quâdam scientiâ supplent: DEO unius rei defectum compensante alteriùs copiâ. 4. Ipsemet obstupui penè non semel, auditis ejusmodi Pastorum Concionibus, vi quâdam divinî Spiritûs animum meum percellentibus. 5. In Biblijs Sacris (Bohemi Bohemicis, Germani Germanicis, Poloni Polonicis, qui Latinè nesciunt) peritissimi sunt: quod cum olim quendam in Moravia Theologum Pontificium, Patrum ut vocant auctoritate fretum, non lateret, certamen de Religione cum quodam è Fratribus, sola Biblia in medium adferente, recusavit. 6. Verumtamen præter divina scripta, orthodoxos quoq; scriptores, tàm veteres quàm neotericos, eodem prorsùs evolvunt animo, quô ille *Leontinus* (apud Sidonium, lib. nono Epistolarum) *legebat incessanter Authores, cum reverentia antiquos, sine invidia recentes*, 7. Præter tamen Spiritum Sanctum, in Sacris scripturis de omnibus scitu nobis necessarijs perfectè loquentem, ac semet ipsum varijs oraculorum suorum testimonijs verissimè explicantem, neminem habent Fratres, in Verbis Biblicis intelligendis, potiorem Magistrum; qui sicùt semper idem est, ita in suis unum & eundem de Mysterijs divinis sensum semper conservat. 8. Ac reverâ ex *Analogia fidei*, non ex auctoritate scriptoris, judicandum esse de interpretatione Scripturæ, Tertullianus quoq;

quoq; censuit. 9. Eratq; aliquando tempus, quã-
do *solum Verbum Dei scriptum regula omnibus Chri-
stianis fuit, tàm benè credendi, pieq; vivendi, quàm
Ecclesiam admistrandi*: nondum natis istis Patri-
bus, ad quos hodie quidam, præsidio Canonicæ
scripturæ destituti, tanquam nautæ coortâ tempe-
state ad sacram anchoram, confugiunt: sed ple-
rumq; pro anchora ad scopulum, in quo naufra-
gium patiantur, allidunt. 10. *Postillis* (quas ita
vulgò Galli vocant) haud frequenter utuntur; i-
deò, ne juvenes scripta esse omnia, quædicenda
sunt ad populum, putantes, segniùs incumbant
ipsis fontibus, ex quibus demum varia & multi-
plex rerum divinarum cognitio manat. 11. Edita
est tamen ab illis (non multis abhinc annis) lin-
guâ Bohemicâ Evangeliorum certis diebus festis
antiquitùs accommodatorum, Epistolarumq; Apo-
stolicarum, planè Orthodoxa, eaq; compendiosa,
explanatio: Sed eâ lege, ne juniores cessent me-
ditari, versareq; manibus jugiter, ipsa divina scrip-
ta. 12. *Ante lucem evigilant, ante meridiem pran-
dent, ante vesperam cœnant, primo noctis crepusculo
cubant: nihil ad satietatem, nihil sine precibus divi-
nis, inchoantes vel absolventes.* 13. Quod & Baro-
nes atq; Nobiles suis cum familijs, si absit Mini-
ster, domi faciunt: Non enim illos pudet ea
tunc præfari, quibus pectora adstantium ad red-
dendas pro beneficijs Deo grates, & flectendum
eum

eum ad clementiam, inflammentur. 14. Nam
quid Deus de Abrahamo non Sacerdote? *Agno-
vi eum, & scio quòd præcipiet filijs suis, & familiæ suæ
post se, ut custodiant viam Jehovæ, exerceantq; justi-
tiam & jus*: (Gen: 18. 19.) Quid & de se Rex Da-
vid? *Venite filij, audite me, timorem Jehovæ doce-
bo vos.* (Psal. 34. 12.) 15. Eliminant ijdem è fami-
lijs suis omnem sermonis obscœnitatẽ, scurrilitatẽ,
dicacitatem, impudicos sales, maledicta, menda-
cia, ebrietatem, impudicitiam, impuritatem, &
quæcunq; dedecorant Christianos. 16. Mira eti-
am illorum est, virtutum genitrix Temperantia,
magna frugalitas & modestia: Ita comeditur &
bibitur, ut cibum sequatur precatio, mox lectio:
Cibos appositos condiunt partim silentio, & Chri-
stianâ gravitate, partim de pietate ac rebus divinis
colloqvijs. 17. Adolescentuli verò inter eden-
dum aliquid divini, ex ijs qvæ eâ die legerunt, ad-
ferunt in medium; vel auditam in Templo conci-
onem recitant; aut solvunt Theologicas quæsti-
unculas, à natu minimo usq; ad maximum, Pasto-
ris arbitrio propositas. 18. Hoc enim est eorum
Dialecticum exercitium, ut accuratè id qvod verũ
est inquirant, ac de proposita quæstione in utrãq;
partem disceptent; Unde indoles illorum, & au-
diti in Templo Ecclesiastæ attentio, perspicitur.
19. Nulli tunc inurbani joci, nullus ociosus sermo,
nullæ obtrectationes virtutis alienæ: quod ne aliâs

 quidem

quidem audias, ne ejusmodi maledictis tristitiâ afficiatur is, qui incredentibus habitat, Spiritus Sanctus (Ephes. 4. 30.) 20. Sic omnia tanquam spectante & judice Deo, *quem pransuri & pransi, cœnaturi & cœnati, stantes ante mensam, hymno ex Canticis Ecclesiasticis desumpto, celebrant.* (21. Quomodo & Christus ipse, Cœnâ illâ postremâ cum suis finitâ, hymnum cecinisse memoratur (Matth. 26. 30.) Idemq; docuit (Marci 11. 25.) *Cùm stabitis precantes, remittite, si quid habetis adversus aliquem.* Et Publicanus ille *procul stans in Templo, Dei clementiam implorabat*, (Luc. 18. 13.) 22. Quapropter Russi quoq; & Moschovitæ, hodiè in Templis continenter stantes, colunt numen divinum, mirabili celeritate interdum fronte terræ allîsâ: quæ vetus est adorandi ratio.) 23. Interjecto post cibum modico laxamento, rursum se ad labores, inde ad librorum lectionem, donec tenuis cœnæ veniat hora, referunt. 24. Matutino tempore, horaq; à meridie tertia (quæ nona est illa, quâ Christus in cruce pependit) ac nocte ingruente, Davidis atq; Danielis exemplo, quotidie fiunt Deo supplices (Videatur Psalmus 55. 19. Et Dan. 6. 10.)

Caput IX.

Domestica Fratrum operæ: & Virtutes.

IN domestico Fratrum convictu alij (præsertim juniores) telam texunt, alij libros conglutinant, alij pelles alibi eruditas, vestesq; sarciunt, alij piscantur, alij utensilia torno elaborant, alij agellos, vineolas, hortos, pomaria, excolunt; alij ligna secant, seû quidpiam aliud fabrile, quod sordidum non sit, unâ atq; alterâ horâ à cibô, vel ante eum, agunt. 2. Quod exemplo Pauli Apostoli fieri credunt: qui quamvis se potestatem habuisse scribat non operandi (1 Cor. 9. 4. &c.) scenofactoriam tamen exercuit unâ cum Aquila (Actor 18. 3.): & Lucæ, qui erat Evangelista, & tamen Medicus (Col. 4. 14.) aliorumq; Apostolorum, qui piscatores fuerunt, etiam post tempus accepti à Domino Spiritus S. (Joh. 20. 22. & 21. 3). 3. Quin & ipsemet *Christus Judæis faber erat lignarius* (Mar. 6. 3.) Justinusq; Martyr (in Colloquio cum Tryphone) *eum fabrilia tractasse*, jugaq; & aratra factitasse, testatur. 4. Et apud Rufinum Spiridion, Episcopus Cyprius, balantum suarum Pastor, & rei pecuariæ studiosus fuisse legitur. 5. Ac de veris Valdesibus in Gallia ita Historicus: *Negatiationes* (inquit) *non habent, propter mendacia, & juramenta, & fraudes vitandas: sed tantùm vivunt de labore manuum, ut opifices; Doctores autem ipsorum sunt Textores & Sutores.* (Hæc quidam Vetus scriptor, in Catologo testium Veritatis Illyrici Flaccij, capite *de Moribus Valdensium.*) 6. Ejusmodi laboribus rectè haberi rationem

onem Ecclesiarum, non nullis in locis ex inopi plebe constantium, exemplo suo docet Apostolus, dicens (2. Thess. 3. 8.) *Non gratis Panem manducavimus à qvoqvam: sed cum labore ac fatigatione nocte dieq; operantes, neqvē vestrûm gravaremus.* Ita 1. Cor. 4. 12. *Ad hoc usqve tempus laboramus, operantes proprijs manibus.* *Et alibi: Nostis, usibus meis, & ijs qvi mecum sunt, manus istas ministrasse. Omnia ostendi vobis, oportere sic laborando suscipere infirmos.* (Act. 20. 34. 35: alloqvitur autem Episcopos Ecclesiæ Ephesinæ.) 7. En ut labor manuarius nihil deroget auctoritati dignitatiq; Ecclesiasticæ! qvem hodie aliarum Ecclesiarum Pastores detrectant, qvia piget, pudetq; simul, sudore vultûs sui victum & amictum sibi suisq; parare. 8. At hi nostri præter alios occupationum suarum fructus, Corpora qvoqve sua, qvæ alij desidiâ perdunt, utiliter exercent; valetudineq; tēperantiâ & modicis exerticijs gaudentē, conservant; atq; ad labores majores tolerandos, dolores perferendos, itinera pedibus conficienda, habiliores redduntur: qvodq; summum est, *sic occupati otia & vitia vitant.* 9. Vigilandum enim semper est his, quibus Satan nunquam non tendit insidias: *Simon, Simon, ecce appetijt vos Satan, ut ventilaret sicut triticum* Luc. 22. 31. Et Hieronymus ad quendam Monachum, cognomine Rusticum: *Facito aliquid operis, ut te semper*

semper Diabolus inveniat occupatum. 10. Quæ causa est, ut Fratres perpaucos feriatos dies habeant: quiq; minus solennes sunt, utpote Sanctis dicati: eos ab orta luce ad prandium in re divina transigunt, reliqua diei pars in labore consumitur. *Sex diebus operaberis*, (inquit Deus, Exod. 20. 9.) *at septimo quiesces.* 11. Verè ille dixit, qui dixit, *Otium est pulvinar Satanæ:* quô sensu & Deus ipse apud Ezechielem de Sodomitis ita loquitur: *Ecce ista fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, Superbia, Saturitas panis, & Otij abundantia, nec manum pauperis apprehendit* (Ez. 16. 49.) 12. Quibus de rebus sic ipsimet Fratres, in *Apologia ad Doctorem Augustinum* (Anno instaurati generis humani 1508.) *Nos verò ob nostros Sacerdotes nequamq; pudore afficimur, quòd proviriliè laborant, ipsi manibus suis victum hinc sibi quærentes: Quòd nos huc ducat, & doctrina & exemplum Apostolorum. Id quod nos libentius videmus, quàm ut ijdem otio vacarent, sequentes per cauponas castra Veneris, aliaq; vana, Usuramq;, & avaritiam exercentes:* & quæ ibi plura habentur. 13 Verûmtamen quibus inter Fratres primaria Ministerij officia incumbunt, hi negotijs laboribusq; Ecclesiasticis semper occupatissimi, ista corporalia exercitia vel nunquam, vel modicè, attingunt; nec nisi animi permultis curis fracti, recreandi causâ. 14. Quibus siquid ad victum desit,

sit, id ipsis haud aliter suppeditant abundantiores Ecclesiæ, quàm quomodo Regem suum apes alunt, & membra unius corporis sese invicem juvant, Caput autem maximè: *Multi enim unum Corpus sumus* (1. Cor. 10. 17.) *& alij aliorum membra* (Eph. 4. 25) 15. Est etiam in eis rarissima jam ævo nostro antiqua illa *Simplicitas, piâ Prudentiâ temperata; Christiana item patientia, animi candor, & proximorum in Christo fervidus amor.* 16. *Hospitalitatem nunquam adverti majorem:* Nam cùm quispiam ad eos peregrè venit, hunc tam benignè & comiter excipiunt, non precio sed gratis, ut se ad suos verè Fratres venisse sentiat. 17. Experti hoc sunt inter multos alios, illi quinq; Illustres in Polonia viri Evangelici, qui (ut dictum est libro VI, ad Annum 1557.) ad videndos eos profecti erant in Moraviam, quorum insigni pietate capti, se ipsis Religione adjunxerunt. 18. Experitur idem, quicunq; ex ijs qui nunc Evangelicorum cognomen habent, ad eosdem veniat. Hunc enim hospitem omnes sigillatim salutant, manus manui jungunt, prosperum adventum ei gratulantur, de statu Ecclesiæ, exqua venit, sciscitantur, gaudent cum gaudente, constritantur cum constritato. 19. Acoluthi cum Diaconis pedes ejus lavant, Equos sarcinasq; curant, & alia veræ germanitatis officia omnes domestici erga eum declarant:

qui

qui si inops fuerit, non discedit absq; aliquo munusculo, Veste, cultris, viatrio. 20. *Si* Clericus est, is illi honos habetur, ut dum preces domesticæ habendæ sunt, brevi ad monitiunculā cæteros ad precandum Deum cohortetur; aut etiam in æde Sacra publicè concionetur: quô hinc dotes Spiritûs S. in eum collatæ appareant, ob quas illarum dator laudetur, 21 Idem quondam egerunt Antichiæ, rogati à Cætu, Paulus & Barnabas (Actor. 13 15. 16.) Idem Christus, ingressus Synagogam Nazarethanam (Luc. 4.16) etsi hic nihil aliud, quàm ubiq; locorum indoctos cœlestia docebat. 22. Salutat idem hospes à Concione Ecclesiam, suæ exqua venit nomine, & omnia ejus seû prospera, seu adversa exponit: unde ab omnibus suam DEUS referat laudem. 23. Si cui Fratrum in animo sit vel genus vitæ, vel domicilij sedem, mutare, aut aliâs novum quid aggredi, is priùs propositum suum Pastori suo aperit: posteaq; aut persequitur, hoc consulente, & sibi benè optante, quod constituit, aut omittit, si is improbârit. 24. Excellunt enim judicijs de rebus, & dandis consilijs quæ sibi salutaria esse illi experiuntur, qui ea ab ipsis exquirunt: contra in fortunati fiunt ij, qui ipsa vilipendunt, cujus rei possem proferre permulta exempla. 25. Neq; id fit sine causa. Et enim si quemadmodum olim apud Israelitas Sacerdotes

& Pro-

& Prophætæ, ita hi apud suos voluntatis divinæ interpretes sunt, consentaneum esse videtur, ut omnes sua ex illis officia cognoscant, & consilia ab eis petant. 26, Ita olim DEus de Josua populi sui duce, & Eleazaro Sacerdote (Num: 27. 16. 20. 21.) *Coram Eleazaro Sacerdote stabit, interrogabitq; eum de Oraculo Dei: ad Verbum ejus egredietur ipse Josua, & omnes Filij Israelis cum eo.* 27. Hi tamen nostri neminem ad id agendū cogunt: Verùm si quis eos, tanquam in Christo Patres, ducesq; suos, in consilium adhibeat, paternè & amanter id quod ipsi expediat, Deoq; gratum sit, suadent; quod officiat, & Deo ingratum sit, dissuadent. 28. Præterea si quæ solicitudo, si quod dubium, si qui mœror & angor, animum alicujus occupavit, aut perturbavit, hæc illi cognitaqvàm lenissimè & prudentissimè discutiunt. 29. Ituro peregrè aliquò, dat Pastor ad alterum Pastorem, apud quem sit commoraturus aliquātum, literas, quibus de pietate ac moribus peregrinantis testificatur, eumq; ipsi commendat. 30. Sunt enim singulis Pastoribus ejusmodi libelli, in quibus habent scriptos, & ad Verbum Dei, bonamq; Conscientiam receptos, & à communione rursum rejectos: tū & illos quise à participanda cum alijs Sacra Eucharistia ultrò subducunt. 31. Sunt deniq; rituales libri; è quorum formulis eædem ubiq; observantur Ceremoniæ,

moniæ, ut omnibus in omnibus vera sit unanimitas, adeoq; vera Unitas.

Caput X.

Populus Fratrum, in quatuor classes divisus; Incipientium, Proficientium, & Pœnitentium.

HOc etiam visum mihi est lectoris oculis subijcere, *Fratrum Ecclesiam ex quadruplici genere hominum constare.* 2. Primum est *Incipientium*, sicut eos ipsimet cognominant: ijq; sunt tum pueri, in Ecclesiæ gremio nati & educati, tum illi, qui è Papatu ad ipsos transeunt, quibus in pura religione nihil est rudius. 3. Hi persimiles sunt illis, qui Judæis quondam erant *proselyti*, id est adventitij; & priscis Christianis *Catechumeni*, h. e. vivâ voce Religionis principia edocti, & quos Tertullianus *Auditores* appellat: & qualis fuit ille, de quo Lucas (Act. 18. 24) *Quidam* (inquit) *Judæus Apollo potens in scripturis, erat initiatus viâ Domini: quem Aquila & Priscilla assumpserūt, & exquisitiùs ei exposuerunt viam Dei.* Hi igitur peccata sua nosse, Christum credentium justitiam fide sibi vendicare, Antichristo impensum honorem cum cæteris delictis

 pæni-

pœnitentiâ delere, & similia docentur. Convocatos enim Pastor erudit ex Lege de peccatis cognoscendis, vitandisq; ; & de Resipiscentia, Fide, Ecclesia, signis divinæ Electionis, deq; alijs hujus generis rebus. 5. Tum demum verò, si rogati ab eo de Decalogo, Symbolo Apostolorum, & Precatione Dominica, scire se ea & intelligere respondeׄrint, idq; ipse cognoverit, ac veram esse Ecclesiam Christi eam, cujus communionem expetunt, confessi fuerint, Catalogo aliorum inscribuntur: atq; tũ ipsis *Recepti ad Verbũ Dei* cognominari incipiunt. 6. *Secundum ergò genus est Ecclesiæ* adscriptorum, quos *Proficientes*, & ad *stipulationem bonæ Conscientiæ admissos*, vocant. Incipere enim multorum est; at perseverare in bono paucorum, quos magnum manet apud Deum præmium: *Hæc meditare*, inquit Apostolus, *in his esto, ut profectus tuus manifestus sit inter omnes.* (1. Tim. 4. 15.) qualiter ipse Dominus JEsus proficiebat Sapientiâ; & Johannes Baptista crescebat Spiritu (Luc. 2. & 1) 7. His diligenter inculcatur Dei cum Ecclesia ictũ fœdus cœlestisq; Patris erga ipsos clementia, quâ ad Christum pertracti, & meritorum vitæq; ipsius participes facti sunt: quâ jam fruantur, animiq; tranquillitatem per ipsum habeant. 8. Monentur insuper, ut Spiritûs S. in Ecclesia operationem agnoscant, illiusq; dono & efficaciâ se quoq; fide,

fide, spe, charitateq; impleri animadvertentes, majora indies pietatis incrementa sibi ipsis optent, & ab illo precentur. 9. Ita institutos, & consilijs bonis instructos, quô ij tantô magis certiore de salute fiant, *Eucharistiæ*, faciunt compotes; priores autem illos minimè, antequam secundum hunc, scientiâ rerum salutarium, & moribus probatis, attigerint gradum. 10. De his & horum similibus ita Cyrillus (super Evangelium Johannis Cap. 20.) scribit: *Hinc Ecclesia regulam accepit. Prohibemus enim à Sacra Mensa Catechumenos, quamvis veritatem jam cognoverint, & fidem magnâ voce confiteantur; quia nondum locupletati Spiritu S. sunt.* 11. Tertium est *ad perfectionem adspirantium, tendentiumq;*, seu *Militum Dei vincentium*: quibus id officij demãdatur, ut Carnem corruptam, Mundum, & Antichristum, hostes suos, nosse, ac devincere studeant. 12. Vincere autem illos solos, qui in vera permanendo Ecclesia, Christum sæpè in auxilium dovocant, disciplinæ se Ecclesiasticæ subijciunt, neve à vitiosis affectionibus capiantur, sensibus suis imperant, corpus & animum jugiter exercent, otia fugiunt, in potu, cibo, somno, alijsq; rebus omnibus modum servant, divina scripta libenter legunt & audiunt, de vita beata pœnisq; sempiternis nunquam non cogitando, deflectere à tramite viæ cœlestis non audent:

dent: si verò id aliquando accidat, minimè desperantes continuò ad Christum redeunt, cursumq; institutum absolvunt. 13. De ejusmodi hominibus illa videntur esse Scripturæ S. testimonia. Hebr. 6. 1. *Omisso sermone qui in Christo rudes inchoat, ad perfectionem feramur.* Item 2. Cor. 7. 1. *Perficientes Sanctificationem cum timore Dei.* Et Apoc. 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Philip. 3. 15. *Quotquot perfecti sumus, hoc sentiamus.* Coloss. 1. 28. *Nos Christum annunciamus: admonentes omnem hominem, & erudientes omni sapientia, ut omnem hominem sistamus perfectum in CHristo JEsu.* Ita Cap. 4. 12. *Epaphras semper decertat pro vobis in precibus, ut stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei.* 2. Tim. 3. 16 *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum &c., ut perfectus sit homo Dei.* 14. *Perfectus autem intelligendus est* (interprete Augustino Cap. 39. libri 1. de Doctrina Christiana) *quãtum quis in hac vita esse potest; nam in comparatione futuræ vitæ, nullius justi & sancti vita ista perfecta est.* 15. Quartũ hominũ genus, *sunt illi sontes*, quos antiqui Theologi Lapsos ac Pœnitentes appellabãt, qui ob aliquod enorme facinus à corpore sanctioris Ecclesiæ resecti sunt: quales fuerunt, Corinthius ille incœstu pollutus, (1. Cor. 5. 1.) *Hymeneus, item & Alexander, traditi ab Apostolo Satanæ obmaledicta* (1. Tim. 1. 20) 16. Qui-

bus illos quoq; adnumerant, quorum conscientiæ varijs malorum affectuum verberantur procellis; quiq; nomẽ pietatis Christianæ factis frigidè tuentur & ornant; illos videlicet, quos Christus (Matt. 13. 47.) malis piscibus, cum bonis sagenâ comprehendi solitis, comparavit. 17 Istis conversio ad Deum, ut rursus Christi participes fiant, eoq; fruantur, in memoriam reducitur; locus autem in Templis posterior humiliorq; assignatur, quô admoniti, peccata sua magis expendant, commissa defleant, fiantq; inposterum cautiores, & in vincendo malo fortiores. 18 Produnt quoq; ipsi demisso vultu, deprecatione humili, omnibusq; actibus suis cordis verè contriti indicia, animiq; dolorem, ac pœnitentiam. 19. *Unde fit, ut quemadmodum mali à bonis hac in Ecclesia removentur, ita lapsi à firmioribus sejungantur ad evidentiorem Ecclesiæ ædificationem quorum nihil alibi videas, ubi nullo res gerentur ordine, pares sunt omnes inter se, nec ater differt ab albo.*

Caput XI.

Ratio docendi populum inter Fratres, recipiendiq; ad Pastoralem curam.

HOrum omnium Pastores in Concionibus diligentem distinctamq;, habent rationem

tionem. 2. Ut enim non uno medicamento omnes curantur morbi, nec uno genere escæ pascuntur infantes cum adultis; ita nec ingenia adeò diversa uno doctrinæ modo alenda sunt. 3. Quare alios lacte spirituali, quemadmodum Paulus suos recens ad fidem conversos Corinthios (1. Cor. 3. 1. 2.) alios cibo solido pascunt: unis Evangeliũ proponunt, alterius Legis iræq; divinæ denunciatione torporé animi excutiunt, remissis stimulos subdunt, in stadio sibi proposito currentibus animos addunt; omnes verò, ut cum timore saluti invigilent suæ, hortantur. 4. *Beatus homo*, inquit Scriptura, *qui pavet semper*, (Proverb. 28. 14. & Paulus Rom. 11 20.) *Noli altum sapere, sed time.* 5. Quorum illi, qui sanctiùs vixerunt, morituri Pastoribus suis, pro animæ cura gratias agunt; hi contrà ad meliorem vitam migraturis, & in cœlestem redituris patriam, convocatis ad decumbentem aliquot Fratribus & sororibus, Corpus & Sangvinem Domini, quasi viaticum quoddam (exemplo Veteris Ecclesiæ, Ruffino, suæ Historiæ Capit. 6. teste) præbent, ac gratum id sibi esse testantur, quod ipsis, seu veriùs Deo, dum valuêre obseqventes, sanctimoniam sectati fuerint. 6 Quorum autem vita flagitiosa & sine seria resipiscentia fuit, & qui non priùs peccare desinunt, quàm cum ampliùs non possunt, istos uti vivos, ita vitâ hac exceden-

excedentes, aversantur: Æquum enim est, ut qui Deum contemnebant viventes, etiam contemnantur à Ministris ejus morientes. 7. *Dum tempus habemus operemur bonum*, inquit Apostolus (Gal. 6. 10.) Et alibi: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (Ps. 95. 8.) Item (2. Thess. 3. 6.) *Denunciamus vobis, ut subducatis vos ab omni Fratre inordinatè se gerente, & non ex traditione accepta à nobis.* Et 1. Cor. 5. 11. *Scripsi vobis ne commisceamini, si quis cum Frater nominetur sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax cum ejusmodi ne edatis quidem.* 8. Displicuit quondam rigor ille fratrũ, quasi nimius, Luthero, sicut ex ijs liquet quæ libro IV. (in Anno salutis humanæ 1576) posuimus: Sed Fratres sicuti tunc reddiderunt, ita revera hucusq; causas habent graves consilij sui: quas alij Ministri non considerantes, nulli nõ fœdæ vitæ Christiano, modò is patrato aliquo facinore vel paululùm ingemiscat, quamvis Spiritui S. semper mentiatur, Regnum promittunt cœleste. 9. Imò & manifestè Atheis, capitalesq; pœnas meritis nebulonibus, ac judicio seculari damnatis, & Carnifici ad necandum traditis, de Pœnitentia & animæ salute nunquam solicitis, nec adhuc Dominum Jesum amantibus, cruentam tantùm mortem exhorrescentibus, invitis etiam, & aliud cogitantibus, persvadere conan-

conantur ut dicant *Credo in Christum*: & continuò ipsos *Hodie cum Christo cœnaturos* promittunt: plerisq; & hanc ipsam consolationem irridentibus, utq; Sacerdos ipse pro ijs cœnatum eat hortatibus. 10. At hoc quid nisi Clavium abusus est? Tam impœnitentibus, quos Mundus terraq; pati non possunt, tam amplas Cœli valvas pandere (quô tamen nonnisi per angustam portam, arctamq; viam, veniri; & quidem ab ijs solis qui Crucem Christi, mortificatione in se carnis, gestant, bonum certamen certant, fidemq; & bonam conscientiam servant &c, Christus & Apostoli docuerunt) quid est nisi incautos gratiæ divinæ dispensatores esse? 11. *Unius illius Latronis exemplum, non ita debet adhiberi, ut inde constituatur vivendi, sed potiùs seriò pœnitendi, regula.* Nec suspiria ultrò peccantium juvant, nisi sequatur vita inposterum sanctior. *Septiês cadit justus, sed idem resurgit.* (Pro. 24. 16.) Nî verò lapsus resurgat, planè injustus est, exosusq; Deo, qui nos sanctos esse jussit, (1. Petr. 1. 16.) & ad opera bona elegit. (Ephes. 1. 4.) 12. Attamen si quis impius, & à communione sancta separatus, in agone suo veram agens pœnitentiã Fratres accersat, serióq; illorũ perã requirat, accedunt libenter, consideratisq; reviviscentis cõscientiæ signis, opus Spiritûs S. quod ille in homine agit sequuntur, scintillam non extingvunt sed

sed excitant, medicinam quali opus est, (seu acrem & corrosivam, seu lenem & placidam) adhibent, peccata hominis aggravant, ob ea iram Dei, & à sorte hæredum Vitæ æternæ ejectionem proponunt. 13. Quod si quis hanc Pastoris Christi virgam patienter sustinens cum Davide iterat; *Irã Domini portabo, quia peccavi ei*: veræq; fidei atq; pœnitentiæ signa certa demonstrans, Deum & homines offensos deprecatur, & sigilla gratiæ divinæ, authoritate Ministerij Christi, sibi exhiberi humiliter & magno studio postulare non desinit: Huic potestate clavium Christi remissio peccatorum annuntiatur, usu Sacramenti ad meliorem illius valetudinem (si ejus spes est) vitæq; piæ novitatem dilato; aut etiam instanti, & enixè roganti, (præsertim si mortis metus adsit) illicò exhibito. 14. Omnia hæc, sicut prudentes mysteriorum Dei dispensatores Fratrum Ministri eô fine sic moderantur, ut Domino suo fidem, & sibimet bonam conscientiam servẽt, homini a. cuilibet nõ ad deceptionẽ, sed ad pœnitentiã, & animæ salutem, operã suã cõferant, & sic Ecclesiã rectè ædificent. 15. Mortuorũ humatio simplicissima apud Fratres est, absq; funeralibus pompis, & monumentis magnificis; ut terra citiùs resolvatur in Terram, & saltem post mortem superbire desinat is, è cujus corde dum vixit egrediebatur fastus (Mar. 7. 22.) non tamen ideò non habetur honor membro Christi, &

Spiritûs S. domicilio, nisi quòd id fit absq; summo nimio. 16. Nec id prætermittam, *Omnem apud Fratres Pastorum curam consumi annunciando, docendo, commonefaciendo, præcavendo, & castigando*: negantq; esse prudentem populi Dei rectorem, qui hæc universa non eo ordine observet. 17. Ante omnia enim Verba vitæ auditoribus esse annuncianda, veritatisq; sermonem syncerè ac simpliciter exponendum, ut doctrina diu varijsq; modis tradita rectè percipiatur: tum nè homines vivant immemores professionis suæ, officij commonefaciendos, posito simul ob oculos discrimine, quod à neglectu officij emersurum sit: demum, si contumaces sint, futurâ pœnâ terrendos, immò & objurgandos, ac à communione obedientium sejungendos. 18. Cœterùm solent Fratres, laudandâ sanè ceremoniâ, suæ Unitatis homines (ut suprà dicta meliùs explanem) *primò in Ecclesiam, & ad Dei Verbum*; *pòst ad pacatam Conscientiam, admittere, has ob causas*. 19. *Primùm*, ut homines Fidem, quam ministerio Verbi, operatione autem Spiritûs S. apprehenderunt, publicè profitendi occasionem habeant: ita jubente Apostolo (Rom. 10. 10.) *ut ore id confiteamur, quod credimus corde*: quô tempore Antichristianos simul detestantur errores & superstitiones. 20. *Deinde*: ut infantes Christiani, in ætate sui ignorante baptisati, jam autem judicij usum assequuti, scientes volentes Christo se-

dedant, Deoq; se verâ fide ac bonâ conscientiâ, tàm prosperis quàm adversis rebus, servituros, justitiam semper culturos, veterem hominem exuturos, (hoc est, naturales motus & affectus non bonos frænaturos, mutaturosq;) polliceantur: *Juravi*, (inquit David) *& statui custodire judicia justitiæ tuæ* (Psal. 119. 105.) 21. *Tertiò*, ut fiduciam suam palàm contestêtur credere se, quòd accedant ad talē Ecclesiam, quæ puram Evangelii profiteatur Religionem, & sit mysticum corpus Christi, Eccesia Orthodoxa, quam Christus assumsit in gloriam DEI (Rom. 15. 7.) 22. *Postremò*, ut hoc pacto verum Dei amorem induant, seq; prorsùs dedant & addicant huic Patri, qui eos denuò generavit, & in familiam suam ascivit; undè in cordibus illorum tranquilla nascatur conscientia, & juge gaudium in Spiritu S. *Si modò gustatis, quàm benignus sit Dominus, ad quem accedentes, velut vivi lapides ædificamini*, (inquit Apostolus, 1. Petr. 23. 4.) 2. 3. Quæ omnia tametsi pulcherrima in se, illis tamen qui in Ecclesijs malè ordinatis nati educatiq; sunt, superflua esse videntur: cùm tamen reverâ, nisi veri Christi servi ista omnia, quæ necessariò Eucharistiam præcedere debent, hoc eodem gerant ordine, res Christiana procedente tempore eô deventura sit, ut Ministri quidem ab Auditoribus suis contemnantur; hi verô laxatis sibi habenis, ac fœ-

ac fœdere quod semel cum Deo in Baptismate inierunt ignorato, aut posthabito, animi sui vivant prolubio, Sacramentumq; Cœnæ Dominicæ nihil nisi profanetur. 24 Sed operæ pretium fuerit (illorum in gratiam qui his offenduntur) ipsorummet Fratrum hâc de re verba in medium producere: quæ ego, nihil non scrutando, inter schedas Johannis Laurentij eorum Episcopi, uti multa alia situ obducta, atq; neglecta, Ostorogi reperi. 25. *Quod attinet,* inquit, *formulã admittendi homines per Pastorem ad Ecclesiastica mysteria: Sciant quiq; docti & pij, observari eam à nobis imitatione priscæ Ecclesiæ, in qua Catechumeni fuerunt illi, qui rudimentu doctrinæ Christianæ, non ex scriptis, sed ex ore docentium percipiebant: nec antè ad Sacramenta, quàm mysteria Religionis Christianæ benè tenuißent, admittebantur.* 26 *Jam autem quicunque è Papatu nobis se jungunt, pleriq; omnes ejusmodi sunt, ut eos pro Catechumenis habere, nec aliter quàm vetus Ecclesia tractare, necesse habeamus.* 27. *Quos verò salutari doctrinâ instructos, & vitâ Christianâ ornatos esse cognoscimus, his undecunq; veniant pro officio nostro de necessaria præparatione admonitis, licentiam accedendi ad Cœnam Domini damus.* 28. *Monemus autem hos etiam de necessarijs, regulisq; Vitæ constanter piæ instruimus, ut mandato Christi, omnibus Apostolorum successoribus dato, obtemperemus: Docete eos servare*

vare

vare omnia quæ præcepi vobis. 29 *In quibus quidem tradendis optimus nobis ordo visus est ille quem usurpamus. Primùm jubentur homines, Ecclesiæ corpori accedentes, Symbolum Apostolicum, in medio audientis Ecclesiæ, clarâ voce edere.* 30. *Deinde interrogantur ijdem, An in hac ipsa Fideusq; ad vitæ terminum perseverare statuant.* 31. *Si id velint, & promittant pergit ex eis quærere sacrorum administer, An ergò secundùm fœdus in Baptismate (parentum & susceptorum ore) factum, omnibus vitijs, peccatis, erroribus scienter volenter committendis, renuncient: sobrieq; justè, piè, semper vivere habeant in animo?* 32. *Tum an obedientes fore ducibus suis, Ministris Ecclesiæ, recipiant? Id quod annuentibus illis, commonefactio fit ab eodem, ut agnitis suis peccatis, quibus Deum hactenus offenderunt misericordiam Domini sui (exemplo servi debitoris) seriò implorent.* 33. *Quibus hoc facientibus, Ecclesia simul pro illis orat: sicut scriptum est, Orate alij pro alijs, ut servemini.* Item: *Si quis aliquem viderit peccantem non ad mortem, oret, & Deus illi dabit vitam.* 34. Finitis precibus absolvuntur à peccatis, Clavium Christi potestate: *fiuntq; verbis exquisitis exhortationes ad diligentiam in Vita Christianè exigenda adhibendam; tandemq; Cœnæ Dominicæ cum cæteris fiunt participes.* 35. *Hæc autem omnia ideò ita geruntur, ut ipsis fœdus Baptismi eô meliùs in memoriam revocetur.*

tur.

tur, & unusquisq; in suo vitæ genere sanctè transigendo sit studiosior; ac ut Pastores Oves suas certò cognoscant, & bonas quidem conservent, malas autem ovili arceant. Hæc ea de re Fratres.

Caput XII.

De ritu Impositionis manuum. Et de Pædobaptismo, educandiq; liberos cura.

Quô admissionis ritu, hoc potissimùm qværitur: ut juniores à senioribus, imprudentiores à prudentioribus, errantes à non errantibus, minùs pij à magis pijs, omnes verò à suis Pastoribus, Senioribus, judicibus, quoties opus foret, admoneri se patiantur, & vicina semper virtutibus vitia fugiant. 2. At verò qvi ex alijs ad normam verbi Dei renovatis Ecclesijs venientes, de articulis Fidei rectè informati sunt, & membra fieri ipsorum Unitatis desiderant, hi nihil aliud qvàm se Pastoribus suis obseqventes futuros spondent. 3. Qvando verò è Papatu aliqvi Fratribus se aggregare volunt, præmoneri solent, ut id deliberatè faciant, qvũ levis animi sit facilè credere (Ecclus 19.4.) Si respondeãt, cõsultò se id agere, percunctatur Pastor: An ergô exitiales errores, aliaq; mala, qvæ salutis animæ studiosis fugienda sunt, in Ecclesia illa qvam deserunt, agnoscant omninò? & an vicissim cœtum hunc, cui se aggregant, credant esse partem veram Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ? an deniq; Verbo Dei, suisq; Pastoribus, obtemperare velint? Si promittunt, repromittit Pastor se qvoq; curam illorum habiturum, voluntatemq; divinam eis fideliter expositurum esse. 4 Postea numerantur recepti in Ecclesiam, & nomina illorum consignantur in Ecclesiæ Albo: perinde ut numerabantur illi, qvi olim Christo dabant nomina (Acto 2. 41. *Et additæ sunt Ecclesiæ die illo capita, qvasi tria millia.* Et cap. 4. 4. *Fuit numerus virorum qvi crediderunt, qvasi qvinqvies mille*) 5. Soleat autem Fratrum Ministri ijs qvos in Ecclesiæ membra recipiunt manus imponere, tam puerorum baptizatorum capitibus, postqvam ij duodecimum ætatis annum attigerunt; qvàm illis qvi Ecclesiæ eorum adsciscuntur, & ad bonam conscientiam admittuntur. 6. Ideô qvòd Iacobus Patriarcha nepotibus suis fausta precaturus, & Israelitæ in Levitis, hi in victimis Deo offerendis, Moyses in Iosua sibi substituendo, ipse Christus in adductis ad se puerulis, Apostoli in baptizatis, idem egerint (Actor 8. 18.) 7. Paulus etiam hujus Ceremoniæ suâ tempestate in Ecclesia usitatæ meminit Heb. C. 2. scribitq; de ipsius efficacia (2. Tim. 1. 6.) *Admoneo te ut exuscites in te donum, datum tibi per impositionem manuum mearum.* 8. *Ita & Tertul-*

lianus Theologus perantiqvus libro de Baptiſmo; *Baptiſmi carnalis actus, qvòd in aqva mergimur; Spiritualis effectus, qvòd delictis liberamur; dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum Sanctum.* 9. Et Hieronymus adverſus Luciferianos: *An neſcis Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut Baptizatis poſtea manus imponantur & ita invocetur Spiritus S.? Exigis ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum.* 10. Ambroſius etiam ſic (Cap 5, de dignitate Sacerdotali) *Per hominem dat Deus gratiam; Homo imponit manus, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, Deus benedicit potenti dexterâ: Epiſcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem.*

11. Ita & Euſebius Cap. 2. lib 7. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. *Ex conſvetudine ab antiqvis ducta temporibus; in recipiendis in Eccleſiam ijs hominibus, qvi ſe à qvocunq; hæreſis genere revocaſſent, ſolæ preces cum manuum impoſitione adhiberi ſolebant.* 12. Sic & Cyprianus, ad aliud etiam id transferens: *Pœnitentiam* (inquit) *agunt juſto tempore; deinde ad exomologeſin veniunt, & per manuum impoſitionem Epiſcopi ac Cleri jus Communionis accipiunt.* 13. Sed quoniam baptizatorum puerorum mentio facta eſt, dicamus & de his aliquid, ne quis Fratres cum Anabaptiſtis facere exiſtimet. 14. Perfundunt igitur Fratres Infantum legitimè Chriſtianis parentibus natorum (illegitimè enim

enim nunquã naſcuntur in eorũ Eccleſia) eã Corporis partẽ, in qua maximè elucet divina imago: idq; ter ſancti Numinis myſterio; quod Juſtinus, Tertullianus, alijq; veteres Orthodoxi, *Trinitatẽ* vocant. 15 *Primùm* eã ob cauſã, quòd ſint *ſemẽ Abrahæ, patris omniũ Deo credentiũ* (de quo Geneſis Cap. 17 7. *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*): qui verò Dei ſunt, iis hoc gratiæ ipſius ſignũ minimè negari nõ debet, ſicuti olim nõ negabatur Circũciſio. 16. Credunt enim Baptiſmũ Circumciſioni ſucceſſiſſe: ideoq; liberos Chriſtianorũ ita per Baptiſmũ, Eccleſiæ ad participandũ Chriſti in eam collata beneficia, inſeri oportere, quemadmodũ olim Judæorũ liberi per Circumciſionem populo Dei inſerebantur, & ab Ethnicis diſcernebantur. 17. *Secundò*, quòd Peccata Baptizatorũ eô modô deleri dicantur, ipſaq; Eccleſia, cujus ſunt haud poſtrema portio infantes, purgari: *Exſurge Sancte* (dixit Ananias) *baptizare, & ablue peccata tua* (Acto. 22. 16. Et Cap. 2. 38.) *Baptizetur unusquisq; veſtrûm in remiſſionẽ peccatorũ.* (Et Eph. 5. 26.) *Chriſtus ſeipſum tradidit pro Eccleſia, ut eam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* 18. *Tertiò*, quia & omnes quicunq; ex corrupta Adami maſſa progeniti ſunt (per unũ n. hominẽ peccatũ introivit in mũdũ, ac per peccatũ mors, in quo omnes perierunt, Rom. 5. 12.) Regni cœleſtis conſortes eſſe cupiunt, Aquâ & Spiritu denuò gigni neceſſe

cesse est (Johan. 3. 5.) 19. *Quartò*, quòd Baptismus, prima sit janua Ecclesiæ, ubi Christus etiam nunc stans, puerulos ad se admitti jubet, eisque benedicens Regnum DEI, Baptismo majus, illorum esse testatur, nosq; id eô, quô infantes modô, accipere oportere docet (Mar. 10. 14, 15.) 20. *Quintò*, quoniam Petrus dandum esse Baptisma Spiritum S. habentibus censuit; qui tamen non minùs est in pueris, quàm in adultis, ubicunq; sibi hospitium delegerit, illapsus olim in Ethnicos ante Baptisma (Act. 10. 44.) quin & omnes nos Ethnicis prognati eô acceptô credidimus in DEUM, Patrem, Filium, ac hunc ipsum Spiritum, unum in Trinitate personarum DEUM. 21. *Sextò*, quòd ex verbis Christi (quæ Marcus memoriæ prodidit, C. 9. 42) appareat puerulos, fidelium parentum prolem, reputari in sorte credentium in Christum. Sic enim ille: *Qui scandalizaverit unum pusillorum istorum, in me credentium*: fiduciam ergò in hoc testimonio figentibus, non esse negandum Baptisma, qvod est fidei sigillum. 22. Postremò qvòd persvasi sint, totius Ecclesiæ Christianæ perpetuo consensu Infantilem baptismum esse receptum: cùm nihil uspiam de ejus institutione, aut origine prima, legatur. Qvod evidenti testimonio est, non cujusqvam qvàm Apostolorum voluntate institutum fuisse: id qvod apertis quoq; verbis testantur antiqvi, ut Clemens Romanus Cap. 17. lib. 6. constitutionum Apostolicarum: Dionysius Areopagita Cap. 7. Ecclesiasticæ hierarchiæ: Origenes in Cap. 6. Epistolæ Rom: Cyprianus Epistolâ 8. libri 3. ad Fidum: Augustinus lib. 10. in Cap. 23. Genesis: Tertullianus in fine libri de Baptismo: qvorum omnium seculo Baptismus Infantum in Ecclesia usitatus fuit. 23. Nec tamen deteriore sunt loco, sententiâ Fratrum, puruli ante acceptum Baptisma (minimè ignorante invitoq; Deo) extincti, qvàm qvi (eodem vocante) participes illius fiunt. 24. Non enim voluit is, cui adeò omnes, mortui etiam, vivunt, & apud qvem est numerus dierum hominis (Iob. 14. 5.) seu in cujus manu sunt tempora nostra (Psal. 31.) promissionem suam infringi finitivè, immaturâ vel subitâ cujusquam morte. 25. Sanctæ radicis sancti sunt rami (Rom. 11. 16.) Fidelium filij non immundi sunt, sed Sancti (1. Cor. 7 14.) Seminisque Abrahæ semper est idem Deus (Genesis 17. 7.): solus Sacramentorum contemptus, & malus usus, punitur; non verò is, qvi illorum compos esse non potuit, cùm voluit. 26. Verum id qvidem est, resolvi Baptismo peccatum illud originale: non tamen ideò salus Infantum Christianorũ, si baptizari non contigit, vocanda est in du-

bium, dum in conspectu Patris apparet, Ecclesiæ suæ patronus Jesus Christus: alioqvi modicæ aspersioni Aqvæ plusqvam morti Christi tribueremus; olimq; etiam infiniti pueruli, mortis interventu non circumcisi, perijssent. 27. *Quid est* (inqvit Ambrosius) *qvòd ingemiscas pro mortuis, cùm jam reconciliatio Mundi apud Deum facta sit per Dominum Iesum?* (Ambrosius ad Faustinum Epi: 8 lib 2.) Negatq; idem Valentinianum Imperatorem gratiâ Baptismi caruisse, cujus desiderio flagrabat, qvamvis non esset baptizatus. 28. Infantes igitur, qvi more Catholicæ Ecclesiæ baptizati sunt (alijs pro ipsis de mysterijs fidei respondentibus, qvemadmodum scribit Augustinus Cap. 52. de Ecclesiasticis dogmatibus) duodecimo fere ætatis suæ anno à parentibus & susceptoribus suis ibi sistuntur, ubi primò renasci cœperunt in Ecclesiam; fidem suam in conspectu Ecclesiæ professuri. 29. Tunc verò apparere solet, functine sint in erudiendis eis officio suo Parentes, Propatres & Promatres, quod se facturos in Baptismate obstrinxerant: ut &, num illis pueri paruerint, & prima fidei rudimenta didicerint. 30. Quod si rectè fidem Catholicam confessi, ipsi per se Sanctorum Communionem, & alterius Sacramenti gratiam, expetiverint, siq; quod alij nomine ipsorum in Sacro lavacro detestati sunt, id ipsimet quoq; fecerint, ac Sanctimo-

ctimoniæ semper se daturos operam polliciti fuerint: tum etiam Minister repromittit, voti eos compotes futuros. 31. Inde exemplum seqvens Apostolorum, qvi Samaritanis antea baptizatis, qvò Spiritum S. acciperent, benè precando manus imponebant (Actor 8. 17.) ipse qvoqve hanc ipsam initiationem, fideiq; professionem, auctoritate Clavium ad Oeconomiam Ecclesiæ à Christo acceptam confirmat, eosq; divinæ in Baptismate factæ promissionis participes facit. 32. Tunc verò demum ij, ætate sic aucti ut qvid bonum malumq; sit dijudicare qveant, ad sacramentum Eucharistiæ, qvod sui probationem in fide reqvirit, admittuntur: atq; vt adolescant, magnæ sunt parentibus curæ, ne, ut est Mundus malorum plenus, obscæni aliqvid oculis videant, fœdi auribus audiant. 33. Non mirum est igitur, tali educatione atq; eruditione puerorum, reddi apud Fratres homines adeò probos: qvi tamen ut bonis boni, ita malis mali sunt. 34. Hæc de fœderis Dei in Baptismo renovatione, seu potiùs de adolescentium puerorum profectûs in pietate examine; qvâ tamen Ceremoniâ qvidam, causarum ejus ignari, offenduntur, opinantes semel baptizatos ad nova qvædam pacta rursus à Fratribus obligari: adeò omnis error ex re malè intellecta oritur.

 Caput

Caput XIII.

De Precum, Cantionum, Concionumq; modo.

IN precibus divinis (si actum Cœnæ Dominicæ, Baptismi administrationem, sponsalitiorumque, & Jejuniorum tempore publicas supplicationes excipias) non præit verbis Minister more alibi recepto, ut clarâ voce preces recitantem cæteri eadem geminando sequantur: sed Minister paucis antè suggerit, quid in communi omnes & singuli à DEO petere debeant: cùm pro se non semper eadem flagitare opus habeat unus quod alter. Tum flexis omnes simul genubus unusquisq; tacitè Deum orat, donec Minister assurgat. 2. Solet autem cohortationis ad orandum materia sumi, vel ex eo quod ante precationem canitur, vel ex prælecto atque explicato divino textu, vel ex quavis alia loci, temporis, factive circumstantia. 3. Ad mentionem nominis Jesu animos, non genua, flectunt; corda sua, non capita, aperiunt: ne crebro corporis motu tàm docentis, qvàm discentium, animi perturbentur: neu Jesus, ut fit vulgò, tantùm ad solam nominis ipsius vocem coli videatur. Sanctè colitur à pijs nomen Patris nostri cœlestis, qvamvis motus corporis non semper accedat: de qvo pluribus egimus in fine appendicis Libri VII. 7. In Templis, seu à Ministro seu à qvopiam vocali Fratre, titulo Cantici cœtui indicato, ac præcinente, clarissimis vocibus hymnos concinunt: Davide præcipiente (Psalmo 33. 3.) *ut Iehovæ canticum novum canatur in vociferatione*: nam reverâ totis animi corporisq; viribus amandus colendusq; est DEUS. 5. Nullus illis est cantus fractus, aut peregrinus, qvi intelligi à plebe non possit, nec ad ædificationem Ecclesiæ faciat; nulla Organa Musica ludicrum qvid, umbratile & figuratum, redolentia: nulla item Vexilla, nullæ statuæ, nulla alia in æde sacra, qvàm divina, rationis compos, imago; nullus ardens ignis, nisi hyemis antelucano tempore. 6. In Concionibus verò habendis servatur ab eis certa series, qvam à suis majoribus acceperunt: nempe ut omnia Christianis non ignoranda reducta sint ad XII articulos Fidei Catholicæ, qvorum explicatio annuo tempore circumeat. 7. Utq; vitetur auditorum tædium, non ultra horam producitur Concio: rectè omninò, cùm plus emolumenti adferat auditori brevis, eaq; rectè divisa oratio, qvàm superflua loqvacitas, qvæ diu audita facilè tamen effluit. 8. Nempe hoc etiam ad antiqvæ Christianæ simplicitatis imitationem. Ita enim Justinus (in fine Apologiæ 2.) *Die qvi solis dicitur, omnes in unum locum conveniunt, ubi scripta Apostolorum vel Prophetarum leguntur,*

quamdiu hora patitur Et Chrysostomus (Tom. 3. Sermone de Eucharistia) *Centum & Sexaginta octo horas habente hebdomadâ, unam & solam sibi segregavit DEUS: & hanc tu in opera secularia, & ridicula, insumis?*

Caput XIV.

Synodorum habendarum ratio.

SYnodos quotannis ferè agunt, in loco aliquo commodo: qui domo parochiali, Templo vicinâ, omnes Ministros cum junioribus, famulis & jumentis, capiat: ne huc atq; illuc sparsi, vicatim per hospitia discurrant, & celanda enuncient. 2. In Synodo autem, triduum quadriduumve durante, *Primùm* Sacræ Conciones de officiis Servorum Christi habentur; *deinde* vel de præsentibus statuitur, quæ venerunt in consultationem: vel consilia capiuntur de futuris; aut præterita errata emendantur, dissensiones ortæ componuntur, peccantes plectuntur (nempe ut alij à Ministerio removeantur, alij communione penitùs ejiciantur, quod tamen rarissimè inter illos accidit): aut viceversâ pœnitentes in gratiam recipiuntur, malis Ecclesiæ undecunq; imminentibus occurritur; officia singulorum Unitatis

tatis ordinum leguntur; Ministri Ecclesiæ constituuntur; demumq; transactis quietissimè omnibus Cœnâ Domini conventus solvitur. 3. Quicquid autem Synodicè decretum fuerit, hoc ab omnibus concorditer observari, ita usu receptum est, ut nemini uni soli, ne quidem ex quatuor illis primariis Episcopis, quicquã immutare liceat, nisi senatûs universi accedat consensio: imò si aliquid magni ponderis statuendum venit, non etiam Synedrij soliûs, seû Presbyterij, absq; cæteris Ministris, sufficit authoritas, aut voluntas. 4. Et quoniam me rem multis lectu jucundam facturum nonnulli censûere, si omnia quæ in Synodis eorum aguntur, accuratiùs oratione complecterer, faciam hoc non invitus, quando me in hunc de Conciliis locum orationis series deduxit: idque ve. ideò, ut hinc etiam Ordinis Fratrum amantes, aliquid in rem suam decerpant: neq; ignorent, quæ sit illorum in creandis Ministris Ecclesiæ ratio, longè quidem illa melior quàm Pontificia, vel etiam alia. 5. Sunt itaq; apud Fratres *duplices Synodi; primæ Spiritualium cum secularibus, alteræ Clericorum tantùm.* 6. Illas intra spacium aliquot annorum, gravioribus incidentibus negotijs, indicunt Episcopi, communicato cum Patronis Ecclesiæ consilio: has semel anno Episcopus, consciis Collegis è Seniorum numero, accersitis ad eas Ministris, ita ut ad tem-

pus certum & locum designatum omnes conveniant. 6. De loco jam dictum: Tempus pomeridianum est, ut ad horam Cœnæ, luce solis durante, præstò sint. (Confluunt autem interdum plures ducentis; in Moravia quandoq; circiter quingenti) tum â Cœna ad preces publicas itur. 7. Ubi Archipresbyterorum unus Deo primùm, pro felici eorũ conventu; pòst ipsis quoq; cœterorum nomine agit, & habet, gratias, quòd Senioribus suis, ad opus divinum ipsos vocantibus, obtemperaverint: addit admonitiones, cùm alias tùm eas, ut suis cum servulis sint quietissimi, nec quòquam ignorantibus Senioribus domo exeant. 8. Acoluthis autem & Diaconis distribuuntur ministeriales operæ, ut uni hoc, alij curent aliud; hic ut Cellis serviat, ille Mensis, alius præsit Aurigis, &c quod illi alacriter suscipientes, absq; omni murmure faciunt: procurantes ne quid desit hospitibus, sed liberi omni solicitudine parata habeant omnia, lectos etiam cum mundis Cubilibus. 9. (Ne autem desint talia, illis in locis, provident Seniores: eum in usum conservantes, quæ Ministri cœlibes morituri reliquerunt, aut Mœcenates Fratrum, ditioresq; matronæ, Ecclesiæ donârunt; nec enim ullus Presbyter quidquã eorum in usus privatos convertit, quæ semel data sunt omnibus; alioqui sacrilegus judicaretur.) 10. In generali Synodo concionatur Episcopus

scopus, Dominorum secularium causâ, de excellentia, ordine, officijsq; eorum; de bonorum remuneratione, atq; malorum pœnis &c. 11. In particulari sermonem dirigit ad universum cœtum, pro temporis rerumq; ratione; unde petant doctrinas, & hauriant consolationes necessarias, sive omnes universim, sive seorsim Acoluthi, Diaconi, Ministri; & quilibet loco & gradu suo constitutus ad pium laborem excitetur. 12. Tum Seniores aperiunt Ministris Synodi coactæ causas, permittendo cuiq; ut videat, & si videt moneat, quicquid in communitate meliùs constitui ac emendari oportere existimet: quod omnes se fideliter facturos promittunt, moxq; inchoatâ Sessione (sejunctim â Senioribus) per suffragia faciunt, uno ex illis (quẽ sibi Notarium eligunt) singula scribente, & Senioribus tradente. 13. Referre obiter libet, quibus gradibus, quibusq; modis, apud Fratres perveniatur ad summum Ministerium. 14. Et primùm quidem Seniorum quispiam Concionem habet ad Acoluthos; hinc illi adolescentuli, qui sunt â Ministris commendati Senioribus, vocati ex ordine, obligantur ab Episcopo manu stipulatâ, aliquot interrogatiunculis, ad futuram disciplinam prælecta sibi cognoscunt officia, & in numerum Acoluthorum adsciscuntur. 15. Dehinc habetur alia Concio, de gradu & Officio Diaconorum: quâ finitâ, quos-

quoscũq; Acoluthos Seniores, consultis Ministris esse idoneos judicarint, ut in gradũ Diaconorum cooptentur, ij itidem acciti in medium, certis sponsionibus ad id obstringuntur, precibus ad DEum fusis confirmantur, quidq; præstare debeant edocentur. 16. Sequitur deinde Episcopi ad Ministros oratio, partim Diaconis unâ audientibus, partim solis Ministris.

Caput XV.

Ritus ordinandi Ministros, & Conseniores, Senioresq;.

QVod ad Ministros, Diaconis superiores (distingvunt enim hæc Fratres) ipsorum inauguratio hoc modo peragitur. 2. Diaconi, qvi suæ doctrinæ ab virtutis Ecclesiarum habent testimonia, ac illis qvibus cum diu vixerunt scripta, subijciuntur censuræ Ministrorum: tanqvam ij, qvi futuri sunt non doctores solùm ducesq;, sed etiam lumina, & exempla aliorum. 3. Tum congregati unâ Ministri, pro sua qvisq; conscientia considerantes in Candidatis, cùm vitæ probitatem, tum dotes illas sine qvibus Ministerium Christi rectè obiri neqvit, singuli ferunt de singulis sententias. 4. Ubi contingere solet, ut alius hunc vel illum tanto gradu esse dignum dicat, alius indignum, tertius non indignum qvidem esse, nî hoc vel illud vitij haberet, atq; si commonefactus illud caveret, tolerari posse, qvod judicio ipsorummet Seniorum esse relinqvendum. 5. Ergò candidati ad Seniorum consessum nominatim accersiti, objecta sibi aut agnoscunt, aut diluunt, aut emendationis spem faciunt: Seniores verò Ministrorum sententijs suas qvoq; accommodantes, idoneos conscribunt ordine. 6. Prius tamen etiam cum uno qvoq; singulatim in colloqvium (soli Conseniores absq; Episcopo) veniunt, qværentes ex eis, haberentne in animo, si eos ad altiorem gradum vocaret Dominus, Ecclesiæ ejus ita navare operam, ut ne unqvam stationem desererent, sed omnia qvæ verorum vigilum sunt semper facerent? 7. Si annuunt, examinantur mox in omnibus Religionis Capitibus, qvæ continet publica fidei Confessio, inq; locis qvibusdam Doctrinæ cœlestis obscurioribus: tùm secundùm responsionem uniuscujusq; de eo decernitur. 8. Ab hoc collegiali morum & scientiæ examine, mittuntur singuli seorsim ad arctius examen Conscientiæ, ad primarium Episcopum: qvi oratione gravissimâ, ad qvantum munus in Ecclesia DEUS illos jam vocet, ubi sessuri jam sint in solio Ministerij Christi, tum clavium Regni ejus potestate, conscientias hominum liga-

turi vel ſoluturi, edocens, ad tam auguſtũ & ſublime munus purâ, & nullo conſcientiæ ſcrupulo oneratâ, mente opus eſſe oſtendit. 9. Monetq́;, nunc tempus eſſe ut ſi qvid impediat conſcientiam, ingenuè aperiant; atq́; ſi in Cœlis certi eſſe velint ſuæ abſolutionis, in Terra eam à poteſtate clavium Chriſti accipiant priùs ipſi, qvàm ad eam alijs miniſtrandam accedant &c. Cujusmodi ſeriis adhortationibus qvin emendationis propoſitum, ſanctimoniæq́; ſtudium flammeſcat, fieri vix poteſt. 10. Ita præparatis, atq; emundatis, Miniſterij Candidatis, congregatur Eccleſia, (idq́; potiſſimùm diebus Dominicis) fitq́; Concio publica: qvâ finitâ, Epiſcopus conſurgens præfatur de Miniſterij Eccleſiaſtici dignitate, præſtantia, gravitate, ac de ipſorum Miniſtrorum officijs, honore, præmijs. 11. Exinde ab uno Conſeniorum ſinguli nominatim Candidati, (prouti ſecundûm donorum gradus in ordinem redacti, & in charta conſignati ſunt) vocantur, & ſe ſiſtere jubentur ante Epiſcopum.

12. Quos è turba ordine prodeuntes, excipiunt duo Seniores alij, atq; hiscum verbis ante Epiſcopum, ſecundum menſam Domini ſtantem, ſiſtunt: *Rogamus te venerabilis Antiſtes, totius Eccleſiæ nomine, ut his in conſpectu Chriſti ac tuo ſtantibus Viris, committas legationis Ieſu Chriſti, &*

mune-

muneris Paſtoralis, plenam poteſtatem, confirmeſq́; ipſos poteſtate tibi à Chriſto & Eccleſia factâ, eô qvô par eſt ordine. 13. Hic Antiſtes *rogat, An ad exſeqvendum id ſacrum munus digni & idonei ſint, ijſq́; præditi virtutibus, qvibus legatos Chriſti ornatos eſſe decet?* 14. Ad hæc alter illorum duorum, verbis Eccleſiæ; *Sunt* (inqvit) *ad hoc neceſſarijs dotibus à Deo inſtructi, benè à teneris eruditi, probati, teſtimonijſq́; omnium, tam ob doctrinam quàm vitæ honeſtatem, ornati; etiam à ſcrupulis malæ conſcientiæ liberi; & precibus ac jejunijs Eccleſiæ* à divina Majeſtate ad ſuſtinendum id munus impetrati. 15. Reſpondet Epiſcopus: *Qvandoqvidem id agitur, ſatis fiet in nomine Domini Jeſu huic ſanctæ poſtulationi veſtræ.* 16. Atq́; ita demum fit legitima illorum, cum tacitis apprecationibus totius Eccleſiæ, ſegregatio: uno è Seniorum numero rurſum prodeunte, & ad animandum ipſos ardentem illam Chriſti pro ſuis novicijs Apoſtolis deprecationem, qvæ à Iohanne Capite 17 deſcripta eſt, prælegente. 17. Tum Epiſcopus, poſt certas quaſdam interrogationes atq́; obligationes (quibus hi DEO, Eccleſiæq́; ipſius obſtringuntur) ritu priſcæ Eccleſiæ eos ordinat, conſecrat, & DEO addicit: imponendo ſcilicet procumbentibus in genua manus (ut & alij duo trésve è Seniorum numero) Eccesiâ interim *Veni Sancte Spiritus* &c concinente, & toties

ties qvoties opus iterante. 18. Inde consurgentes Ordinator divinâ benedictione animat, exhilarat, ac ut fœlix sit illis, novum vitæ genus, atq; Ministerij Christi opus, exoptat, & qvanti munus laboris susceperint meminisse jubet.

19. Subjungens votum & admonitionem, ut illius semper memores, sibi injuncta fideliter exseqvantur, divinitùs imperata (certâ spe æterni præmij) obedienter faciant, & in Christo, verbisq; ejus manentes, fructum multum adferant; acclamante totâ Ecclesiâ, *Amen*. 20. Inter adhortationes id sedulò ipsis inculcatur, ut illud quorundam dictum, *Ne Auditores vitam suorum Pastorum, sed tantùm doctrinam spectent*, tanquam pestem caveant; neq; id temerè, nam *qui solùm dicunt, nec faciunt, ipsi suis præceptis detrahunt pondus.* 21. *Bonum est recta præcipere: sed nisi & tute facias, mendacium ait esse Lactantius:* estq; incongruens, atq; ineptum, non in pectore, sed in ore habere bonitatem. 22. His rebus omnibus etiam ex plebe qui volunt intersunt, oculosq; & animos eâ voluptate explent, ut quidam lachrymas tenere non queant: ea in omnibus servatur gravitas, reverentia, religio, & qui omnia ornat, Ordo.

23. Cæterùm ipsorum Seniorum (ut & hîc, quod Capite V. scripsi, paucis commemorem) ita se habet electio. 24. In Synodo congregatis omnibus Ministris, proponunt Seniores, opus esse augere numerum Senatûs Ecclesiastici, ut in locum eorum, qvos Deus evocavit, è totius Ministerij cœtu alij eligantur. 25. Additurq; admonitio, qvales ad hoc munus reqvirantur; & ne qvis in suffragio ferendo qvenqvam alium, sed semetipsum & conscientiam suam, cum invocatione Dei, consulat: nevé alijs hunc vel illum nominandum svadeat, sed qvisq; cuiq; liberè, ad conscientiæ dictamen agendi potestatem relinqvat. 26. Hinc qvilibet Minister post preces ad Deum factas, multamq; deliberationem, qvos aptos esse ad suscipiendam eam provinciam censet, in schedula notat: qvam obsignatam (inscripto suo cognomine) offert Senioribus. 27. Hi verò etiam suis sententijs adjunctis, majoriq; suffragiorum parti consentientes, conscribunt delectos, atq; eodem ferme, qvô & Ministros Ordine, per Episcopum consecrant. 28 Nec est diversa ad his ipsorummet Episcoporum creatio: qvi qvidem ex Seniorum (seu Conseniorum) ordine simili modo, ab omnibus Ministris & Senioribus, delecti, & in conspectum Ecclesiæ evocati, sanctè promittunt, fideles se in omnibus futuros; qvibus rursum omnes pollicentur obedientiam. 29. Idem olim fiebat in Alexandrina Ecclesia: *ubi Presbyteri semper unum ex se electum, & in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant*; (Hie-

(Hieronymus in Epiſtola ad Evagrum.)

Caput XVI.

Ordinationum, & in genere Synodorum, clauſula qvalis.

ABſolutâ Miniſtrorum ordinatione (qvali hoc aut illo tempore opus) ſacra fit univerſæ Eccleſiæ liturgia, Senioribus tam Clero, qvàm plebi, miniſtrantibus. 2. Perorat deinde Epiſcopus, ſvadens, ut roborandi ordinis gratiâ, omnes diverſorum graduum Miniſtri, dent ſibi invicem dexteras, teſtem inter pares qvidem ſocietatis, inter ſuperiores autē & inferiores amoris & obedientiæ (Gal. 2. 9.) 3. Primum illud faciunt inter ſe recens ordinati Seniores, prioribus dexteras ſocietatis & obedientiæ porrigentes: ut & recèns creati Miniſtri prioribus Miniſtris, & Diaconi Diaconis. 4. Deinde inferioris ordinis Clerici, videlicet Miniſtri, Diaconi, Acoluthi, Senioribus, Miniſtrisq; & Diaconis, datis manibus ſanctam obedientiam pollicentur: hymnum interea decantante Eccleſiâ, aut Pſalmo 133. qvæ cuncta actis Deo gratijs finiuntur. 5. Cùm corpora cibo, poſt tot labores, reficiendi ſunt, introducuntur in Cœnaculum, ac medij collocantur novi Seniores inter antiqviores: permiſcentur & novi Paſtores veteribus, Diaconi Diaconis, Acoluthi Acoluthis. (De edendi verò ac bibendi ratione, dictum jam eſt Cap. VIII) 6. Poſt hæc congregati, & conſultatione gravi habitâ, ad illa reſpondent Seniores, qvæ Miniſtri conſtitui ordinariq; in Eccleſia oportere ante hac cenſuerant; addentes ipſi qvoq; ſua conſilia, ac juniores cujusvis ordinis, affectu planè paterno, officij commonefacientes. 7. Tunc etiam permittitur Miniſtris, atq; alijs junioribus, ut adhuc etiam Seniores unâ ſedentes accedant, ſi fortè qvis aliqva in re ſibi, ſuæve Eccleſiæ, conſilium exqvirere neceſſe habeat: fitq; (communi Seniorum judicio) Paſtorum, juniorumq;, ad certa loca miſſio. 8. Tandem fit dimiſſio ſolemnis: ubi poſt brevem per Epiſcopum admonitionem, ſingulorum officia complectentem, conſurgens unus ex veterum Miniſtrorum numero, agit omnium nomine gratias, tam Deo pro tantis beneficijs, qvàm ipſis Senioribus pro eorum paterna cura, ſalutaribus admonitionibus, adjectione operariorum ad miniſterium Chriſti, totaq; illa beneficentia, qvam durante Synodo experti ſunt: ſimul & promittit, ſe omnes officium ſumma cum fide ac diligentia exſecuturos, obituros q; eſſe. 9. Idem faciunt recèns creati, tum Miniſter, tum Diaconus, tum Acoluthus, unus reli-

reliqvorum nomine: Senioribus, gratum id sibi esse, respondentibus, ac ut singuli domum reversi salutent Ecclesias, curamq; illarum gerant paternam, & qvilibet gradûs sui officium præstet, rogantibus. 10. Ad extremum, collaudato simul Deo, ad sua se singuli recipiunt. 11. Hæc mihi scribenti venit illud in mentem, qvod Orosius (Qvæstione. 65) explicari sibi petijt ab Augustino: *Qvomodo* (inqvit) *possumus scire qvis mittatur à Deo?* respondet Augustinus: *Illum cognosce missum à Deo, qvem non paucorum hominum laudatio, vel potiùs adulatio, elegit, sed illum qvem vita & mores optimi, & Apostolicorum sacerdotum commendat actio, vel etiam qvi universorum populorum judicio comprobatur: qvi non appetit præesse, qvi nec pecuniam dat ut Episcopatûs honorem acqvirat.* 12. Addam: apud Fratres in creandis Ministris Ecclesiæ omnia qvæ recensui servari, absq; tamen unctione, qvam illi Deo, Spirituiq; ejus, relinqvunt: qvi tàm Iesum Christum, qvàm Apostolos, virtute suâ unxit (Act. 10. 38. & 2. Cor. 1. 21. & 1. Ioh. 2. 27.) 13. Qvæ omnia si qvis pius hospes, cùm aguntur, vel semel videat, prorsùs sit excors oportet, nî ita animo afficiatur suo, ut cuncta qvæ sunt verorum Christianorum Fratribus esse tribuenda fateatur. 14. Hìc enim illud videas, qvod scripsit Lucas (Actor. 13. 3.) *Cùm jejunassent, & orassent imposuissentq; ipsis manus dimiserunt eos*, & Cap. 14. *Cùm suffragijs delegissent per singulas Ecclesias Presbyteros, precatiq; essent cum jejunijs, commendârunt eos Domino.* Et Rom. 10, 15. *Qvomodo prædicabunt nisi mittantur?* Et 1. Tim. 5. 22. *Manus citò nemini imposueris, neq; communicaveris alienis peccatis.* Itẽ 1. Cor. 14. 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* Et 1. Tim. 3. 13. *Qvi bene ministraverint, gradum sibi bonum acqvirent.* 15. Qvi gradus, nescio an uspiam alibi meliùs serventur in Ministerio Ecclesiæ: qvod ex ipsismet Mathiæ Czerwencæ Episcopi verbis breviter sic cognoscamus; qvi auditor Lutheri, missus fuit legatus à Fratribus ad Bucerum Anno 1540. fatali sorte absumptus 13. mensis Decembris, 1569. 16. Anno, inqvit, 1521. Februarij, 21. Celacoviæ honestis parentibus natus sum: Anno 1533. Calendis Januarij, Boleslaviæ in fraternitatem admissus: 1540. die Jovis post diem Purificationis Virginis Mariæ, factus sum Litomisliæ Acoluthus: 1544. die Solis post Philippi & Iacobi, Diaconus: 1549. die Luciæ (Mathiâ Sionio creante) Minister; 1550. allectus in numerum intimi Consilij XII. virorum: 1553. septimo Junij, sorte electus Episcopus, postridie autem confirmatus: tertio decimo verò die pòst, scriptor sum Unitatis (Protonotarium alij vocant) à Concilio eorundem XII. Virorum, fide illis datâ, declaratus. Hæc ille de se, nec aliter

ter posset de qvocunq; alio. 17. Est enim illis Liber, qvô vita uniuscuisq; Ministri brevissimè describitur: ubi non prætermittuntur, uti singulares virtutes, ita vitia ipsorum, sine qvibus nemo mortalium nascitur. 18. Laudavit hæc olim *Erasmus Roterodamus*, qvemadmodum Libro III. ostendi, in Anno 1511. Laudavit & *Lutherus* ijs literis, qvas dedit ad Fratres Anno 1523. *Qvòd* (inqvit) *Episcopos, Concionatores, & Diaconos, qvi verbum Dei prædicant, & ministrant Sacramenta, ipsi è Vobis eligitis, habitâ ratione eruditionis & vitæ, probo: Sed tamen hoc cum Evangelio pugnat, qvòd eos à conjugio arcetis.* (Hæc Lutherus: nos autem de Connubio Ministrorum paulò pôst videbimus.) 19. Qvod autem Fratres agunt in ordinatione Ministrorum, militibus similium. *Milita bonam militiam*, inqvit Apostolus, *habens fidem & bonam Conscientiam* (1. Tim. 1.18) idem olim egêre Romani milites, Vegetio teste. *Jurant*, inqvit, *omnia se strenuè facturos, quæ præceperit Imperator, nunqvam deserturos militiam, nec mortem recusaturos, pro Rom. Republica.* 20. Ac certè multò magis hisce militibus Christi fides Imperatori Christo integrè servanda est, semel suscepta functio nunqvam deserenda, Arma spiritualia semper tractanda, & in promptu habenda; assidui hostes illis oppugnandi, pro veritate decertandum ad mortem usq;.

Caput XVII.

De Lingvarum studio inter Fratres: Reditibusq; eorum.

PORrò ut semper sint docti Viri in Ecclesia, mittuntur à Senioribus Ecclesiasticis in Academias adolescentes, domi utcunq; eruditi, in qvibus erga studia liberalium artium amor, excellensq; ingenium, appareat. 2. Cœteros ipsimet Seniores, atq; nonnulli Pastores, non magis literis qvàm pietate instituunt, & ferendo deinceps gravi Ecclesiastico oneri paulatim à puero assvefaciunt. 3. Fatendum verò est, Fratres illos pluris facere illiteratam pietatem, qvàm parùm piam literaturam: & majorem curam habere bonorum Morum, cum voluntatis divinæ notitia, qvàm Artium liberalium exqvisitam scientiam. 4. Et certè Deus non benè doctis, sed benè credentibus, & benè viventibus, vitam æternam promisit: de doctis autem, qvorum & nos hodie superbissimos, & lingvæ stiliq; intemperantissimi, habemus, ita Apostolus (1. Cor. 8. 1.) *scientia inflat, charitas ædificat.* 5. Suffragatur Fratribus Qvintilianus (Cap. 3. libri 1.) ita scribens: *Si studijs qvidem scholas prodesse, moribus autem nocere, constaret: potior mihi ratio vivendi honestè, qvàm vel optimè discendi, videretur.* 6.

Demiror tamen unde in qvorundam animis ea de Fratribus opinio nata est, qvasi Lingvarum cognitionem, & Artes, penitùs contemnerent. 7. Scilicet adeò sunt improbi, ut Spiritûs S. dona aspernentur; nec velint, si suppeteret facultas, lingvis loqvi, ut inqvit Apostolus, easq; interpretari, (1. Cor. 14. 5.) 8. Si contemptio Lingvarum est dicenda, non potuisse illas olim discere, cùm in ejusmodi docerentur locis, qvi sine vitæ periculo, aut fidei & bonorum morum corruptela, adiri non poterant: aut non posse eas propter indigentiam discere, contemnunt illas Fratres. 9. Atq; ita eas suâ ætate contempsit beatus ille Augustinus, lingvæ Græcæ (ut ipsemet fatetur, in libris de Trinitate) parùm gnarus, Hebraicæ autem prorsus ignarus: multiq; alij Theologi veteres expertes earum fuêre. 10. Et Syri, Indi, Armenij, Græci, Russi, Latini, suâ tantùm contenti; atq; adeò ipse qvoq; Jeremias Papa, seû Patriarcha, Constantinopolitanus, qvantum ex eo intelligere potui, Græcam solùm atq; Turcicam tenet: & tamen doctus est, suosq; qvantum patitur tyrannis & barbaries Turcica, benè regit. 11. At nunc auctis Dei gratiâ his almi spiritûs dotibus, sublatisq; omnibus cum alijs vivendi periculis, studiosè Fratres lingvis navant operam, qvantum qvidem per sumptus licet: ac observatum est, *Adolescentes Fratrum in lingvis plùs addiscere*

discere annis duobus, qvàm alij annis qvatuor. Qvod si qvis non credit, ipse eos examinet, & cum alijs conferat. 12. Nec ego Waldenses majores his habuisse causas crediderim, qvòd de sua Religione nihil ipsi latinè, qvod ego sciam, in publicum ediderint. 13. Porrò si hoc de Fratribus, qvod ajunt, ita se haberet, unde qvæso illæ tàm literæ, qvàm lingvæ in multis eorum Presbyteris atq; Ministris? videlicet in illo *Luca Baccalaureo Pragensi, Mathia Czerwenka, Iohanne Augusta, Ioh. Blahoslao, Petro Herberto, Ioh. Laurentio, Ioh. Rokita, Ioh. Aenea, Georgio Vettero, Luca Libano, Isia Cœpolla, Simeone Turnovio, Ioh. Effraimo, Paulo Jessenio, Ioh. Capitone, Hieronymo Ficaro, Luca Helicio, Ioh. Sifferto, Ioh. Gircæo, Ioh. Campensi, Samuele Sussicio, Iohanne & Bartholomæo Niemczanijs, Zacharia Aristone, Ioh. Lanecio, Adamo Felino, Magistro Nicolao Alberto, &c.* ne omnes recenseam. 14. Idem testantur eorum scipta qvædam, arguitq; ipsum Biblicum opus, annis superioribus (ut videre est sub finem libri VII.) excultissimâ ab ipsis, & verissimâ, interpretatione Bohemicè editum. Profectò Sacra Biblia ex Hebræo & Græco in lingvam Patriam rectè transferre, nec unius viri docti, nec lingvarum rerumq; variarum rudis esse, fateatur necesse est, qvisqvis non imperitus rerum æstimator fuerit. 15. Pergo ad alia. Fratrum singuli, incerti qvô

ti qvô tempore morituri, parata habent Testamenta, qvibus suam aperiunt voluntatem de ijs, qvæ habent, post fata dispertiendis: utq; idem Auditores illorum faciant, eos subinde monent. 16. Si cui cælibi patrimonium est, id ille, dum vivit, magna ex parte erogat in varias Ecclesiæ necessitates, memor tamen propinqvorum suorum; moriturus autem supellectilis suæ Ecclesiam facit hæredem. 17. Nullos autem alios habent census, nullos proventus, sive reditus, præsertim ij qvi sunt in Moravia & Bohemia, præter eam peculiolam, qvæ ex voluntaria hominum beneficentia eis provenit, qvæq; domesticis juniorum laboribus acqviritur. 18. Et qvia meminit Apostolus collectarum & oblationum in sanctos pauperes (Rom. 15.26. & 2. Cor. 9.1. Gal. 2.10.) Meminit & Justinus Martyr (in Apologia pro Christianis secunda) his verbis: *Die Solis convenimus omnes in unum, Apostolorum vel Prophetarum scripta legimus; ditiores, si libeat, pro sua qvisq; voluntate conferunt; collecta deponuntur apud præpositum, is subvenit pupillis, & egenis, &c.* 19. Harum igitur apud Fratres qvoq; colligendarum qvadruplex qvotannis constituitur tempus, singulis scilicet spacijs trimestribus; sub custodibus illarum viris ab avaritia alienis, qvi acceptorum & expensorum reddunt Senioribus Politicis rationem. 20. Aliæ sunt ab his Eleemosynæ volun-

voluntariæ: qvæ vel ijsdem viris, vel ipsis dantur Ministris, & qvarum rationem Seniores Ecclesiastici, sub visitationis tempus, exigunt. 21. E Collectis ordinarijs, qvas qvemlibet, prout est animus, conferre oportet, Vinum ad usum Eucharistiæ, Cerei ad Templum hyemis tempore, Calices cum suis operculis, & Mappæ ad insternendum mensam Domini, emuntur: Aedes item sacræ reparantur: ac si qvid superfuerit, abit in alimenta Pastorum egenorum, atq; exulum propter Evangelium. 22. Atq; vtinam nostra Nobilitas in hos suos Pastores esset aliqvantò liberalior! adeò verecundos, ut nihil à qvoqvam nisi qvis suâ sponte offerat aliqvid, petant, tantò minùs exigant; qvin ne hoc qvidem, nisi precibus adacti, accipiunt, sicut mihi sæpè narrabat, pius ille senex Jacobus Comes ab Ostrorog, majoris Poloniæ Præfectus generalis, idq; ipse expertus sum. 23. Nimirum qvòd *beatiùs esse dare, qvàm accipere*, Christus dixerit (Act. 20. 35.) *& Ministrum Christi alienum esse ab omni specie avaritiæ conveniat* (1. Tim. 3. 8.) turpeq; sit mendicare Pastorem Evangelicum. 24. Sin autem plùs satis des, non accipiunt omninò: ut vehementer mirer in conservandis eis divinam providentiam. 25. Sed pudet referre, qvemadmodum qvidam hodie ita sunt augendæ rei dediti, ut etiam id, qvod majores illorum pio studio sacris usibus addixerant, animo

animo sacrilego ad se rapiant; nihilo tamen alijs locupletiores, qvi hoc non faciunt. 26. Atqvi si illi, qvi Altari ministrabant, Altaris erant participes (Num. 18. 8.) &, si Pharao sacerdotes suos è publico ali voluit, ut non necesse haberent divendere possessiones suas tempore famis (Gen. 47. 22.) & Rex Ezechias certas fructuum terræ portiones Sacerdotibus Aaronicis dari jubebat (2. Paral. 31. 4.) multò magis alendi nobis sunt Ministri Evangelij, cùm id Dominus ordinaverit, ut qvi Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant, (1. Cor. 9 14) & Apostolus præcipiat, ut qvi doctrinâ eruditur, omnia sua cum doctore communicet (Gal. 6. 6.) 27. Qvod si præstaremus, absq; dubio & viros doctos, qvos in Scholis nasci oportet, plures haberemus, & Pastores nostros ijs curis eximeremus, qvibus eos in victu comparando distineri necesse est. 28. Injustum profectò est, qvibus multùm debeas, his parvam referre gratiam; & iniqvissimum negare mercenario victum, neq; velle solvere mercedem bene merito famulo; qvid ergò Jesu Christi servo?

Caput XVIII.

De Fratrum laboribus manuarijs, & Cælibatu.

Me-

MEcum facit *Petrus Martyr* Florentinus, Theologus Tigurinus, cùm ita inqvit; *Graviter illi peccant, qvi Ministris Dei alimenta vel negant, vel malignè suppeditant, qvod qvidam avaritiâ faciunt, & sibi decidi putant, qvicqvid Ministris Ecclesiæ tribuitur: alij videntur imperito zelo commoveri. Nam audientes Paulum & Barnabam laborasse, neq; victum accepisse à fidelibus, idem judicant omnes Ministros debere præstare. Sed argumentatio vitiosa est: qvoniam à particulari & singulari facto, legem universalem inducunt: Cùm potius è diverso debeat concludi, neq; uno exemplo debeant omnes Ministri gravari. Ita fieri dicitur hodie in Poloniæ parte, ubi Fratres Waldenses Ecclesias gubernant. Ipsi enim sumptus pro victu à populo non capiunt, sed ex suis laboribus victitant, & qvæ supersunt erogant pauperibus.* Hæc Martyr, Locorum Communium Classe 4. loco. 2. numero 3. 2. Rectè de præmio: id enim merentur Ministri, ipsiusmet Christi sententiâ (Math. 10. 10.) 3. Verùm qvòd Fratres errore labi putat, minimè ei assentior. Ostensæ enim sunt Capite IX, istius illorum laboris causæ: qvæ aliqvot sunt simul, non solius Pauli & Barnabæ exemplum. Qvanqvam qvidni hôc etiam vel maximè argumento moverentur? 4. Certè idem Paulus ita scribit ad Philippenses: *Imitatores mei estote Fratres, ac eos considerate, qvi ita incedunt, sicut habetis nos*

pro

pro exemplari, (Phil. 3. 17.) Et ad Thessalonicenses docens, qvô qvid unqvam animo fecerit, his verbis utitur; *Ipsi nostis, qvomodo oporteat nos imitari; qvoniam non inordinatè nos gessimus inter vos, neq; gratis panem edimus à qvoqvam. Non qvòd non habeamus potestatem, sed ut nosmet ipsos pro exemplari exhibeamus vobis, ad nos imitandos.* (2. Thess. 3. 7. 8. 9.) 5. Qvod licet ab eo in genere dictum sit, tam de vita pia, qvàm de labore manuario, dictumq; videatur Auditoribus: Actorum tamen 20. Episcopos alloqvens imitationem sui hàc ipsa in re svadet (v. 33. 34. 35.) 6. Præterea, habent Ministri in Polonia fundos, qvos vel ipsi sua cum familia excolunt, vel horum loco certam à Dominis agrorum, seu pecuniam seu annonam, capiunt. Non eam qvidem tantam, qvæ labori ipsorum respondeat: sed qvæ Doctorem fame perire non sinat. 7. Ast in Moravia atq; Bohemia, ubi arva Domini Jesu sunt fertiliora, eâ Populus fertur in Pastores suos liberalitate, ut sæpiùs sit frenis ab illa cohibendus, qvàm stimulis ad exhibendam excitandus: Ministris nihilominùs ut animos rerum divinarum contemplatione, ita corpora voluntarijs laboribus, libenter exercentibus: qvia Caro ut pareat Spiritui, omnimodè domanda est. 8. Qvin & ijs Ministris qvi sunt Posnaniæ, in majore Polonia (alter Polonus, alter Germanus) qvamvis nullum sit certum

tum præmium, victus tamen utcunq; suppetit: dum qvemadmodum qvondam Eliam in eremo Corvi, jussu Dei, qvotidie pascebant, ita his cum familia unus civium panes, alter carnes, tertius pisces, Cervisiam qvartus, alij alia alimenta, tanqvam ex composito plerumq;, comportant (cùm id faciat ille, cui una cura est de nobis omnibus) legumina verò hortus suggerit. 19. Simili modo Jesum Christum victitasse, hæc testantur: *Judas marsupium habebat, & qvæ mittebantur portabat*, inqvit Iohannes (12. 6.) Lucas autem (8. 14.) *Ipse iter faciebat per singulas Urbes, & vicos, prædicans Verbum Dei, & duodecim cum eo, & mulieres qvædam qvas sanaverat à spiritibus malis, & aliæ multæ qvæ ministrabant ei ex facultatibus suis.*

20. Admonet me hic locus, & facta victûs Ministrorum Ecclesiæ mentio, ut *de Cœlibatu* qvoq; ipsorum dicam nonnihil, propter qvem sunt expositi multorum sinistris opinionibus: qvasi id Deus ipsis dare non possit, qvo carent reprehensores eorum, & qvidem hoc idem pluribus largiretur, si id studiosiùs qvàm uxores expeterent. 21. Isthæc enim continentia, potissimè in Ministris Ecclesiæ, singularis qvædam Novi Testamenti, eam extollentis, virtus est: olim celebris ac freqvens, nunc contempta & rara, adeò ei pauci student, cupiditati statim cedunt, luctationem sua cum carne negligunt: sed nô pauci pòst, simul

ſimul ac eos agmen invaſit moleſtiarum uxoriarum, illud Corinthijs datum conſilium, *Bonum eſt homini Mulierem non attingere*, ſerò probant (1. Cor. 7. 1.) 22. Inter Fratres autem multi ſunt ex Miniſtris, antiqvâ Conſvetudine Cœlibes, imò perpauci non Cœlibes: ſi eos qvi ſunt in libera & tuta Polonia excipias: id autem ob eas cauſas, qvòd ſuperioribus temporibus multa pericula adierint, multaq; exilia experti ſint, qvæ etiam nunc extimeſcunt, dum idem vivit genus hominum, qvod Evangelij profeſſores ſummè odit. 23. Qvô rerum ſtatu nihil eſt his miſeriùs, qvi Uxore liberisq; onuſti ſunt, nec falsò opinor olim ita ſcripſit illé Græcus.

Felix primùm qvidem, qvi nihil cuiqvam debet:
Mox qvi Uxoris expers: tertiò, qvi ſine liberis eſt.

Qvod Epigramma Cælius Rhodiginus tribuit Automedonti, Capite. 12. libri 15. Antiqvarum lectionum. 24. *Altera cauſa* eſt, qvòd Paulus Doctor gentium, toties periclitatus, id cenſuit de Virginitate (1. Cor. 7. 26.) *exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem.* Item ibidem: *Velim vos abſq; ſolicitudine eſſe*, & ſupra, *Velim omnes homines eſſe, ut ipſe ſim: ſed unusqvisq; proprium donum habet ex Deo.* 25. Qvod ſive is ad viduitatem (nam eum habuiſſe uxorem, præterqvàm qvòd ipſemet fateri videtur, (1. Cor. 9. 5. Et Philip. 4. 3. teſtes ſunt Ignatius Epiſtolâ ad

ad Philadelphenſes, Clemens Stromatum lib. tertio, & Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 3. Cap. 24. ſive ad continentiæ donum, divinitùs ſibi peculiariter datum, retulerit, eodem tamen res recidit. 26 Vult enim idem Epiſcopum eſſe continétem (Tit. 1. 8.) & eô qvi poteſt carere uxore, malo neceſſario à Philoſophis vocato, nihil poteſt eſſe liberius; ut ſunt ſolutæ caveis aves. 27. *Tertia ratio eſt*, qvòd liberis viduisq; illorum, quibus res non modò anguſta, ſed nulla propè eſt domi, nihil eſſe ſoleat calamitoſius: Viro autem, cui ſalax, rixoſa, ſuperba, ignava, prodiga, temulenta, contigit uxor, nullus alius miſerior. 28. Huc accedunt Parentum in liberis benè educandis tot ſolicitudines, à qvibus ſunt Cœlibes liberi. 29. *Poſtrema* ratio, qvia ſoluti curis & impedimentis conjugalibus, expeditiores ſe eſſe, promptioresq;, ad ſua munia exercenda ſentiunt. Qva de re ſic idem Apoſtolus: *Si duxiſti uxorem non peccaſti, & ſi nupſit virgo non peccavit; tales tamen afflictionem carnis habebunt* (1. Cor. 7. 28.) 30. Neq; omninò ſuâ opinione falluntur Fratres; certô enim certius eſt, pleroſq; eorum qvi conjugibus mancipati, & curis humanis impliciti ſunt, fieri in ſacro Miniſterio Cœlibibus aliqvantô remiſſiores, & ad rem attentiores: qvippe qvos diſtrahi re familiari, negotijsq; domeſticis (ut ſibi aſcitis, & ex ſe progenitis, neceſſaria proſpici-

spiciant) necesse est: qvæ uxorum expertes non gravant.

Caput XIX.

De Cœlibatu adhuc & Matrimonio, secundisq; nuptijs.

ATtamen si cui negatum esse divinitus continentiæ donū cognoscant, vel morbis ita subjectum, ut hi curari absq; ministerio Uxoris non possint, videant: huic tam antè qvàm post ipsius ordinationem ducendæ Conjugis potestatem faciunt: idq; ideò, ne libidinis æstu abreptus notam inurat Ecclesiæ, qvam tali maculâ carere convenit; ac ut ægrotus eô curetur meliùs: sed ut eam sibi jungat, cujus virtutes perspectæ sint Ecclesiæ. 2. Solent nihilominus tamen illi etiam, qvi talia prætendit, consulere, ut si se castrare, seu cupiditatem suam vincere potest (non frustra n. Christus, *Qvi potest capere capiat* (Matth. 19.) sine Uxore potius cum *Tito*, *Timotheo*, *Clemente*, ætatem transigat: qvos *Ignatius Martyr* Vitam cælibem egisse Epistolâ ad Philadelphenses asserit. 3. Certè Apostolus, meliùs illum facere ait, qvi suam virginem non dat, qvàm eum qui dat nuptum: & beatiorem esse viduam dicit, si permaneat in sua viduitate & solitudine (1. Cor. 7.40.) 4. Qvibus verbis, cùm Cœlibem vitam præferat Matrimonio, tot mala, curas, & solicitudines secum trahenti, nec Ministrum Christi distractum esse in cultu divino expediat: non est mirandum ejusdem Fratres cum Apostolo sententiæ esse, atq; illos priscos Christianos fuisse, de qvibus hæc Epiphanius (hæresi. 80. in qva refert Statuta & Traditiones Ecclesiæ Catholicæ:) *Primum qvidem fundamentum in ipsa est Virginitas, qvæ exercetur & servatur à multis, & glorificatur.* 5. Sic Justinus in Apologia, Antonino Imperatori oblata, Anno 141. *Multi*, inqvit, *apud nos in utroq; sexu reperiuntur, egressi annum sexagesimum, & septuagesimum, qvi à teneris disciplinâ Christianâ imbuti, perpetuam castitatem conservaverunt.* 6. Et Synchronos Justini Athenagoras, in sua pro Christianis Apologia: *Inveniat multos ex nostris in utroq; sexu, qvi in Cœlibatu consenescant: qvod in hoc statu Deo conjunctiores se futuros sperent.* 7. Idem ego Fratres, præsertim Ministros Ecclesiæ, facere dico, veterum Christianorum æmulando virtutem: permulti enim illorum non ullis adstricti votis, aut Presbyterorum territi minis, sed suâ sponte, usq; ad finem vitæ castissimè vivunt, assidui in precationibus & laboribus, in Victu autem ac somno temperantissimi. 8. Nec id soli Mares, Viriq;, verùm etiam fœminæ faciunt: qvarum aliqvæ acu suere,

legereq; & pingere literas, docent puellas, ac primis fidei imbuunt rudimentis: aliæ, qvæ se liberiori cultui divino, sicut Maria Martæ soror, & Anna Prophetissa, illæq; Christum affectatæ mulieres, (Luc. 8. 3. 4.) dediderunt, fiunt Presbyterorum qvorundam Oeconomæ, & coqvæ, ut ex illis Verbum Dei crebrò audiant, precibus qvotidianis intersint, & Christo in servis suis serviant: ubi pudorem mirabilem, tam harum qvàm illorum, cum omni castitate, videas. 9. *Qvod ad secundas Ministrorum Christi nuptias*, non ignorant Fratres, visum id qvibusdam antiqvis Theologis fuisse, Græcisq; hucusq; videri (qvod etiam hodie observat Russorum Ecclesia) ut is Clericus esse desineret, qvi conjugium repeteret. 10. Verùm cum hoc, nî fallor, sanctis literis, qvibus solis observandis obstringimur, expressum nō sit: qvin potiùs scriptum in eis legatur, *ut qvi urũtur, nec se continere qveunt, contrahant matrimonium*: illud item, *Ferendam esse infirmorum imbecillitatem, nec esse cuiqvã laqveum injiciendum; neq; omnes verba Christi de Cœlibatu capere posse*: non privant Fratres dignitate Sacerdotali eum, qvi unis nuptijs non potuit esse contentus. 11. Nam constat alium hoc, alium aliud à Deo, accepisse donum: Vnum uri perpetuò, & magno ardore ad propagandum genus humanum ferri; alium ab hac re penitùs abhorrere: utrumq; autem venire cre-

re credimus ab illo, ex qvo, *per qvem, ac in qvo, sunt omnia*. 12. Proinde contrarium huic conscientiarum libertati edictum Gregorii (Anno 1074. Papæ creati) *Antichristianum esse, atq; è doctrina Dæmoniorum* (ut scribit Paulus, *1. Tim. 4. 3) profectum existimant: qvod tale est. de Clericis sanxit, ne uxores ducerent, qvi verò haberent, aut eas aut Sacerdotium dimitterent, nec qvisqvam ad sacerdotium vocaretur, qvi non perpetuum Cœlibatum profiteretur*. Hæc Sigonius Italus, de Regno Italiæ lib. 9. 13 Hoc idem diu ante Siricius Papa (circiter Annum 390.) tentârat, sed tamen non perfecerat, dum omnibus Ecclesiæ Ministris Conjugio interdiceret, Gratiano teste (Distinct. 52. & Polydoro Virgilio lib. 5. Cap. 4.) 14. Illa verò Apostoli verba ad Corinthios; *Solutus es ab uxore? ne qværas uxorem*: non præcepti esse sed consilij, qvod sit cuivis seqvi liberum, interpretatur ipse Apostolus: dum distingvens præcepta à consilijs ait, *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Alioqvi peccarent omnes tam Vidui qvàm Viduæ, iterantes matrimonia. 15. Illa proinde Apostoli, *de Episcopo & Diacono unius uxoris viris*, verba variè aliâs ab Orthodoxis intellecta, ceu quidam cum Novatianis & Catharis hæreticis, secundas nuptias damnantibus, sentire viderentur) cum *Hieronymo, Chrysostomo, Augusti-*

gustino, Theodereto, Catholicis Doctoribus, accipiunt Fratres. 16. Hieronymus enim ita scribit: *Hoc quod dicit, Unius uxoris vir, potest & aliter disseri. Ex Judæis erat Apostolus, primaq; Christi Ecclesia de Israëlis reliquiis congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Moysis familiare populo noverat, in multis Uxoribus liberos spargere, ipsis quoq; Sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergò, ne eâdem licentiâ Ecclesiæ sibi vendicent Sacerdotes, ut bina pariter & trina conjugia sortiantur: sed ut singulas uno tempore Uxores habeant.* Hæc ita Hieronymus tomo 3. ad Oceanum. 17. Et lib. I. adversus Jovinianum ait Apostoli verbis. *Plures Uxores Episcopis interdici, unam concedi.* Item in Commentario Epist. ad Titum: *Quidam de hoc loco ita sentiunt: Judaicæ consvetudinis fuit, vel binas habere uxores, vel plures, & hoc nunc volunt esse præceptum, ne is qui Episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores.* 18. Idem sentit Chrysostomus in 1. Tim. 3. Idem Theodoretus, super eadem verba: *Illud unius uxoris virum, mihi videntur quidam rectè dixisse, olim enim consveverant & Græci & Judæi, cum duabus, & tribus, & pluribus etiam Uxoribus, simul jungi lege Matrimonij. Quin etiam nunc, cùm leges Imperatoriæ prohibeant duas simul uxores ducere, rem habent cum concubinis &*

meretricibus. 19. *Dixerunt ergò, divinum dixisse Apostolum, eum qui cum una sola Uxore pudicè cohabitat, dignum esse qui ordinetur Episcopus: neq; enim secundum rejecit matrimonium, qui illud sæpè jussit fieri. Mulier, inquit, alligata est lege, quamdiu vivit vir ejus. Sin autem is mortuus fuerit, libera est ut cui vult nubat, tantùm in Domino. Hæc considerans admitto eorum interpretationem, qui sic intellexerunt.* Ita ille. 20. Non dissensit ab his Augustinus in libro de fide ad Petrum: *Quia* (inquit) *ægritudini semper est consulendum, propterea si cui primò contigerit privari conjugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit; si eas castè servaverit; id est, si unus & una legitimè duntaxat conjuncti fidem servent; ut nec ille Mulieri præter Uxorem, nec illa viro præter maritum, ullatenus misceatur.*
21. Benè ista Augustinus: sed cur ultra numerum ternarium non procedat, causam non video. Sanè homo nunquam polluitur matrimoniô, alioqui DEUS, rem detestabilem, quâ is macularetur, instituisset; quin ne unquam pollueretur, remedio est matrimonium, quod hodie Judæi diligenter curant. 22. Sunt enim quidam naturâ tales facti, ut solitudinem ac viduitatem nullo modo ferre queant. 23. Perijt Basiliæ pestilentiâ, principio Anni 1564. (me tunc inde Genevam egresso) quædam *Dorothea Werkerin*, undecim Mari-

ritorum conjux. Vidit & Sanctus Hieronymus Romæ mulierem, qvæ viginti & duos viros legitimos habuit. Vidit etiam virum, qui viginti Uxores, ad ultimum hanc quoq; ipsam duxerat, victor habitus, quòd ei superstes esset (Hieron. Tom. 1. Epistolâ ad Geruntiam) 24. Novi & ego duos in Polonia Ministros satis pios, qvi usq; ad qvartum matrimonium processerunt, cùm non pauci alij, vel vnicum refugiant: qvos qvis sapiens perperam fecisse dixerit, cùm aliâ ratione peccatum, ad qvod illos æstus incitabat internus, evitare, neq; rei familiari, suæq; valetudini benè consulere, potuerint? 25. Utinam verò aliqvando idem suis permittat Pontifex Romanus! ita namq; illa ejus Babylon, qvam Apocal. 17, graphicè depinxit Angelus, *magna Meretrix* esse desineret.

Caput XX.

De Jejunijs Fratrum.

DIci hic aliqvid posset *de Jejunijs Fratrum* (qvibus si preces ad Deum cum fide, resipiscentia, & misericordia erga proximos junguntur, naturalis petulantia reprimitur, & animus ad supera magis elevatur) nisi id meliùs ex Confessione è Apologia Fidei eorum peteretur: modi-

modicè tamen hoc ipsum etiam perstringamus. 2. Jejunant enim sæpè, semel in die (plerunq; vesperi) comedentes ac bibentes (& si absq; cibariorum delectu) assiduìq; simul sunt in precibus diebus Mercurij & Veneris, qvadripartitis Anni temporibus; & ante Ministrorum inaugurationem; & pridiê Sacræ Cœnæ Domini; & ante festa Christi solennia; ac tùm etiam, cùm aliqvid efflagitaturi sunt à Deo, qvod esset admodum necessarium, & utile, cùm Ecclesiæ, tum verò toti Reipub. 3. Videlicet cùm Comitia Regni celebranda sunt; Novus Rex eligendus est; Pestilentiam ingruere sentiunt; bella præparari, aut Ecclesiam infestari, audiunt; vel aliqvid aliud adversi sibi imminere cernunt: ut hâc tali abstinentiâ iram divinam mitigare, & corpus in obseqvium Spiritûs redigere sit necesse. 4. Sic Daniel & Esdras, per Jejunia futura cognoverunt: Ninivitæ iratum numen cœleste placaverunt: Esther Regem Asverum ab illo crudeli proposito avertit: Anna prophetissa, addens jejunio precationes, die ac nocte Deum coluit: Discipuli Christi Dæmonia eijciebant: Cornelio Centurioni, jejunanti & Deo supplicanti, Angelus apparuit: Johannis discipuli, ac ipse Paulus, crebrò jejunabant (Luc. 5. 33. 2. Cor. 6. 5.) Davidis genua jejunio debilitabantur (Psal. 109. 24.) Judæi adventantis Antiochi Eupatoris minas, tridu-
ano

ano jejunio effugerunt (2. Macha, 13. 12.) Christiani prisci jejunijs aridi, & omni continentiâ asperi fiebant (Tertullianus Apologetici Cap. 40.) 5. Apostoli qvartâ die, qvâ assumptus est Dominus, & pro Sabbato, qvâ crucifixus, jejunium usq; ad horam nonam constituerunt (Epiphanio teste hæresi 80 qvod & 75. affirmat,) Meminit & Augustinus ijs diebus jejunij ad Cassulanum. 6. Ac fuisse id usu receptum apud Judæos, ut qvâlibet hebdomadâ bis jejunarent, etiam hodierna fæx illorum, idem agens, testatur; & Pharisæus ille docet Luc. 18. secundâ & qvintâ Sabbathi id facere solitos fuisse, ait Clemens, Apostolicarum Constitutionum lib 7. cap. 24. 7 Non commemoro alia eorundem jejunia ut Levit. 16. 29. Zach. 8. 19. & alia qvæ per Prophetas etiam ab ijs seriò reqvirebat Deus, dicens: *Convertimini ad me toto corde vestro, cum jejunio & fletu* (*Joel* 2. 12.) 8. At hodie in qvibusdam terris & civitatibus Evangelicis, non modò ignotum est jejunium, sed etiam ceu superstitiosum videtur, & commentum Papisticum esse putatur. Atqvi non Papista erat *Octavius Augustus*, cujus hæc verba refert de Jejunio Svetonius; *Ne Judæus qvidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatho jejunium servat, qvàm ego hodie servavi, qvi in balneo demum post horam primam noctis, duas bucceas manducavi, priusqvam ungi inciperem*. 9. Verè id Imperator; Nam

Nam Judæi non nocte, sed sub occasum Solis, jejunare desinunt, carnibus promiscuè vescentes. 10. Fratres omni suâ vitâ id faciunt, qvod prudenter consulit Sanctus Hieronymus (in regula Monachorum, & Epistola ad Furiam:) *Parcus cibus, & venter semper esuriens, triduanis jejunijs præfertur. Multò enim meliùs est qvotidie parum, qvàm rarò satis sumere. Nihil prodest biduo, triduóve transmisso, vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensatur saturitate jejunium: Etiam ex vilissimis cibis vitanda est satietas* 11. Idem Epistolâ ad Eustachium: *Nec si biduô jejunaveris, putes te non jejunantibus meliorem. Tu jejunas & irasceris; ille comedit, & fortè blanditur. Tu vexationem mentis, & ventris esuriem, rixando digeris: ille moderatiùs alitur, & Deo gratias agit. Qvale illud potest esse Jejunium, cuius iram non modò nox occupat, sed Luna integram derelinqvit!* 12. Ita & Athanasius in libro de Virginitate. *Non qvi à cibis jejunat solùm, probè se gerit: sed qvi abstinet ab omni opere malo: hoc enim jejunium censetur. Nam si jejunes, neq; serves os tuum ne loqvatur malum, aut non vitaveris iracundiam, aut mendacium, aut perjurium, aut si alteri obtrectes, nihil prodest.* 13. Sic & ipse sapiens Siracides (Cap. 34. 31) *Si qvis propter peccata sua jejunio se affligit, rursumq; abit, ut eadem committat, qvis preces ejus exaudiet? aut qvid sibi suâ profuit afflictione?* 14. Qvare valde

valde dubito, num utiliter jejunent pluribus qvàm Fratres diebus nonnulli alij, minimè mutatis cohibitisq; pravis suis moribus: nam cùm similiter cibo ad tempꝰ abstinuissent olim Judæi, ita Deum compellabant (Esaiæ Cap. 58. 3.) *Qvare jejunavimus & non aspexisti? afflizimus animas nostras, & nō novisti?* Qvibꝰ respōdet Deꝰ: *ecce in die Jejunij vestri invenitis qvod delectat!* 15. Et pro fectò etiam hodie Papistarum jejunij diebus, magna voluptas in cibis multifariè coctis, atq; conditis, invenitur: ita ut jejunium illorum nihil aliud sit, qvàm escæ svavis mutatio; qvi verò simplici Carnium (absq; condituris) frustulo, vel uno atq; altero ovo, butyróve, famam suam explet, hic illis hæreticus est, & qvod Romæ atq; Parisijs vidi, strangulatur laqveo. 16. Attamen qvoniam cavent Fratres, ne cui sint offendiculo, aut ullas dent in communi hominum societate turbas, utrumq; vetante Apostolo, atq; monente Siracide (cap. 7. 7.) *Ne peccemus in multitudinem civitatis:* fit plerumq; ut ijsdem cibis vescantur temporibus ijsdem, qvibus & illi cum qvibus vivunt, citra tamen superstitionem, & cum protestatione contra Dæmoniorum ea in re doctrina. 17. Iidem singulis spacijs trimestribus Deo grates publicas in Templis reddunt, sicut dixi, conditas jejunio, pro fœlici tempore præterito: obsecrantes eum, ut & in posterum Ecclesiam & Rempublicam

blicam in pace conservet, scandala omnia exstirpet, iram suam & eam seqventes plagas, famem, pestem, & bella avertat, atq; in omnibus necessarijs clementem se ipsis præbeat Patrem. 18. Adhortantur etiam tunc suos ad seriam pœnitentiam; & eam vitæ emendationem, ut in omnibus à Deo sibi permissis voluptatibus, eam servent moderationem, ne vincantur à Concupiscentijs carnis, regnū sibi in homine erigere semper qværentibus, néve usu illarum nimio mens confundatur, valetudo lædatur, proximi offendantur, Angeli custodes electorum repellantur, & Spiritus S. cordium inhabitator fidelium, contristetur. 19. Observantur etiam inter Fratres, privata spontanea jejunia, pro libera voluntate cujuslibet pij Deum adorantis, & ad gratiam ejus in necessitatibus suis confugientis. 20. Verùm id faciunt, ut Christus monet, ne hominibus appareant, neu tubâ clangant, & sine Papistica certorum dierum observatione.

Caput XXI.

De Scriptorum edendorum ratione.

SI postulet necessitas, ut sit eis scribendum qvidpiam, injungitur id negocij uni Episcoporum, aut alij cuipiam ad scribendum idoneo:

neo: veruntamen Scriptum non antè exit in lucem, qvàm à primario Episcopo, qvi est Synedrij præses, atqve si sit opus à pluribus etiam doctis, è Seniorum Ministrorumq; Classe, examinetur. 2. Id utem ideò, ut certiora sint illa, qvæ aliqvot prudentes antè perpenderent, qvàm in publicum prodierunt: néve qvid scripto insit maledici, qvod totam Ecclesiam deformet; vel falsi, qvod lectores in errorem inducat; aut stomachosi, qvod eosdem offendat. 3. Solet autem id, semper ferè, nomine universæ Ecclesiæ eam ob rem divulgari, ut alia alijs membra ejusdem corporis honorem adferant, eoq; pacto ansa inani gloriæ, animos scriptorum titillandi, præcìdatur, ac scriptum eô majus pondus atq; auctoritatem habeat. 4. Qvâ hodie alibi sublatâ disciplinâ, quod cuivis in mentem, imò in buccam, venit, id spargere in vulgus licet, nemoq; non ita se doctū, & liberum, esse existimat, quin sibi quodvis excogitandi, & ut est ingenium humanum, vel optima damnandi arroget facultatem: unde tot eadem de re opiniones, & tam multa sectarum errorumq; genera. 5. Eadem Fratrum diligentia est, cùm quid alieni editur lingvâ vernaculâ; multi enim vident priùs, quod plures pòst lecturi sunt. 6. De superiore illo scribendi genere, unicum pro multis adducam exemplum. Scripsit quidem *Johannes Turnovius*, Magnificorum Croto-

Crotosciorum in Cujavia Ecclesiastes, librum *de Choreis*: in quo haud infimis rationibus demonstrat, nefas esse, ac turpe omninò Christiano, ita ut vulgó fit, saltare cum fœmina. 7 Qvô quid verius? cum ejusmodi Saltationes & ab Ethnicis profectæ, & in se nihil nisi opus carnis, in voluptates sese diffundere gestientis, sint: sæpeq; numero iras, maledicta, lites, odia, pugnas, inducant, spectatoresq; ad similes lascivos amplexus & tactus provitent, eóque verè pijs scandalo sint. 8. Ad minimum rectè negari non potest, eos qvi ita saltant, configurare se seculo huic: contra expressum Dei interdictum (Rom. 12. 3.): eô magis, quòd & honestioribus Ethnicis, quales Romani erant, saltationes ejusmodi abominationi fuêre. 9. Qvare prudentissimè Synodus Laodicena, (Anno 368.) interdixit, *ne Christiani saltarent in nuptijs, néve cum paganis festa celebrarent*: ac vellem ut isti petulci legerent in Crancij Saxonia Cap. 5 lib. 10. & 34. tam lascivè saltantium, horrendis supplicijs à Deo punitorum, exempla. 10. Rectè igitur Turnovius, eruditi juvenis Johannis Turnovij (postea Theologiæ D. & Fratrum per Poloniam Episcopi) pater, pestem hanc insectatus est: & tamen acutè aliqvid, præter styli obscuritatem, deprehendit Episcopus Laurentius, qvôminus viri non mali laudandus per se labor publicaretur. 11. Pauca verò scribunt

bunt edenda typis in lucem: non qvòd non possint, ficuti alij, sed qvia malunt ea, qvæ jam infinita literis mandata sunt, legere; qvæqve Deus universè omnibus mandavit pro virili parte exseqvi, qvàm scribendo id præcipere, cui nemo pareat, neq; viâ meliori, qvàm ostenderetur, insistat. 12. Qvid, qvòd ipse hominum sapientissimus monuit, *faciendi libros nullum esse finem* (Eccles. 12. 12.) *& qvòd multa lectio sit carnis afflictio*? Ne illud dicam, *omnis verbi ociosi reddendam esse illi, qvi os homini dedit, aliqvando rationem* (Math. 12. 34.) 13. Verissimum est illud Poëtæ (nostro præsertim tempore) *Nihil esse dictum, qvod non dictum sit priùs.* Etenim nihil propè aliud hodie scriptores, qvorum operâ obscurata olim Satanæ artibus pura Religio renovatur, qvam unam & eandem materiam, verbis methodisq; alijs, transformant: perinde ut lotrices aqvam vario cinere percolant. 14. Nihil novi sol hic aspicit: ac eô jam res sensim denuò redit, qvô primùm astu mali genij devenerat, ut homines multò libentiùs humana qvàm divina scripta legant; impleanturq; Musæa varijs eruditorum, & inter se pugnantibus lucubrationibus, qvæ lectoris depravant judicium. 15. Qvasi non plùs una pagella Dei, in Canonicis scriptis nobiscum loqventis, decies lecta, qvemvis docere possit, qvàm mille hominum nobis similium (nisi qvòd nos ætate ante-

antecesserunt) commenta. 16. In quos non ita dotes suas contulit Deus, ut non etiam aliquid nobis, illorum posteris, reliquerit. *Effundam* (inquit) *è Spiritu meo super omnem carnem* (Ioel. 2. 27) quæ caro nos quoq; sumus, non soli illi Patres fuêre; omnes verò æqvè illi ut nos, ut peccato ita ignorantiæ obnoxij sumus. 17. Nam qvid Hieronymus? *Scio aliter habere Apostolos, aliter alios tractatores: illos semper vera docere, istos in qvibusdam, ut homines, aberrare.* 18. Qvam obrem ut alia multa, ita hoc laudem meretur Fratrum institutum, qvòd juventus ipsorum perceptâ è monumentis majorum Vnitatis suæ, de cultu divino, unanimi sententiâ, libros inde Sacros sedulô evolvit: unde puritas doctrinæ, & in ea consensus, in omnibusq; concordia & unanimitas (qvibus maximè Christianis opus est) feliciter conservatur.

Caput XXII.

De Judicijs administrandis per Seniores Politicos.

MAgistratum Fratres partiuntur *in Ecclesiasticum atq; Politicum.* 2. *Ecclesiasticũ Presbyterium* (de quo Cap. IV.) apud ipsos omnia quæ ad *Religionem*, & *Salutem, Conscientiasq;* ho-

 minum

minum spectant, jus administrandi habet: Politica non attingit. (3. Quod etiam tunc fiebat, cũ ita scriberet Hieron. (super I. Cap. ad Titũ) *Idẽ est Presbyter, qui Episcopus: & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur*) 4. Præter tria illa cætera omnia Politico Magistratui, tanquam legitimo humanæ societatis Patrono atque tutori, permittunt Fratres. eumq;, si pietatis Christianæ sectator sit, multis in rebus consilijs instruunt. 5. *Illis Custodia Ecclesiæ, & omne spirituale regimen* (ut pluribus dictum est Cap. III. & dicetur Cap. XXVIII.): *huic Gladius cum sceptro*, ad coërcendos plectendosq; improbos; & Vectigalia multa, ad honore afficiendos ac tuendos bonos. 6. Uterq; Dei Minister est (Rom. 13.) sed Ministerij forma diversa. *Discrimina Ministeriorum sunt, sed idem Dominus*. (1 Corinth. 12.) 7. Civili obsequitur universa Ecclesia, sed tantùm ad Aras. Nam si fines imperij sui transgressus, ea mandet, quæ supremus vetat: hîc Fratres, tum illorum de qvibus Daniel, & Apostolorum exemplo, in hominis potiùs quàm Dei viventis manus incidere malunt: quæ causa est, ut cum illicita vetitáque se facturos negant, non rarò periclitentur. 8. Quoniam verò nemo unquam solus, absq; fidis administris & adjutoribus, Ma-

gist-

gistratu rectè functus est (quod præter alios multos Moysis & Esdræ exempla satis declarant; illud Exod. 18. 18: hoc Esdræ 7. 24.) ideò Fratres, in medio Papatu habitantes, tam ex Equestri quã plebejo ordine certos viros, pietate, judicioq; & prudentiâ alijs præeuntes, eligere solent, quorum operâ in conservando recto statu, & Membrorũ Ecclesiæ concordia, utuntur. 9. Hos illi *Seniores* Politicos, & Judices Populi, nominant: (qualium etiam Matthæus meminit: ut Matt. 21. 23. Accesserunt ad Jesum Principes Sacerdotum, & *Seniores populi*. Sic & alib.) 10. Hi Presbyterorum, in rebus Spiritualibus occupatorum, qvasi oculi auresq;, & tanquam *Censores plebis* habentur: qui electi à Cœtu, manu stipulatâ ab Episcopo in Congregatione constituuntur, bini, terni, vel seni aut octeni, prout freqventia Ecclesiæ requirit. 11. Hi verò ita res agunt suas, ut à pietate familiæ ipsorum cætera multitudo petat vitæ Christianæ exempla. 12. Tum verò Pastorum Ecclesiæ curam gerunt, bonam illorum existimationem, si quis vellicet, tuentur; ædes eorundem, observandorum quæ necessaria sint gratiâ, sæpiusculè ingrediuntur; Auditores ad gratum ergà ipsos animum declarandum excitant; num singuli Fratres & Sorores ad regulas Verbi divini vivant, & officia vocationis suæ, justè, sobriè, piè, & honestè faciant, animadvertunt.

 13. Qvos

13. Quos si qui viam mundi latam sectari deprehendantur, vel parùm piè se gerant, sedulô monent: perstantes in malo objurgant, contumaces autem ad Ministros deferunt, scandalis ne qvæ inter Fratres & Sorores oriantur obviant: Hospiti Fratrum felicem adventum gratulantur, ac redituro ad suos totius Cœtûs nomine prosperum iter & salutem, omnibus ad qvos it, precantur. 14. Sæpè ipsi inter se, conscio tamen Ministro, de rebus necessarijs, consilia conferunt; charitatem inter omnes conservant, sparsam de quopiam infamiam maturè sopiunt, in omnibus silentium servant, pro Ecclesia Deum sæpè orant. 15. In ædes cujuslibet singulis anni trimestribus, tanqvam speculatores, introëuntes, qvales qvis, tam domi qvàm cùm peregre est, sectetur mores, qvomodo vivat, & suam familiam regat, qvibus artibus victum qværat, qvali conscientiâ sua agat, qvid se dignum vel indignum faciat, num preces qvotidianas cum suis domesticis manè ac vesperi habere soleat, an libenter Verbum Dei audiat, qvomodo se in Magistratu (si qvô fungitur) gerat, aliaq; ejus generis, diligenter perscrutantur, & singula scitu necessaria Pastori suo referunt. 16. Operarijs item Opificum, aliundè venientibus, Magistros officinasq; Artificij eorum ostendunt: in facultatibus emendis & acqvirendis, vel rursum justè vendendis, opifices adjuvant; néve qvid

qvid ij volẽtes nolẽtes Reipub. damni dẽt, cõsiderant, inq; difficilioribus negocijs eos salutaribus consilijs instruunt: ac ne is qvi æs contraxit alienum, ad extremam redigatur penuriam, solerter provident. 17. Pauperes in Ptochodochijs, viduosq; egenos & viduas, & pupillos, & aliâs inopes, pecuniâ ex communi Eleemosyna collectâ, sublevant. 18. Ægrotos etiam visitant, consolantur, & ad scribenda ejusmodi Testamenta, in qvibus Uxoris, liberorum, familiæ, calamitosorum, Christiq; Ministrorum, habeatur ratio, fideles tutores ab eis designentur, ac debita ante mortem exsolvantur, si possunt, hortantur. 19. Tutores itẽ atq; Curatores orãt, ne qvã Orphanis injuriam faciant: Pastores autem, ut exspirantibus viaticum spirituale, coactis ad id aliqvot Fratribus sororibusq;, præbeant, rogant. 20. Intersunt & Nuptijs, qvô suâ præsentiâ convivantium immodestiam (si qva foret) cõerceant, mares cum fœminis saltare prohibeant: videant deniqve, ut omnes ante ebrietatem, qvæ hilaritatem facilè seqvitur, domum repetant. 21. Illorum qvoq; est inimicitias inter fratres exortas dissolvere, compositis amicè litibus, si possunt: aut si arbitrio illorum non aqviescatur, litigantesq; forum seqvi eligant, monere, ne qvid ejusmodi apud Magistratum agant, qvod Ecclesiæ foret scandalo, condonantes potiùs, Christi exemplo,

alter alteri injurias (Coloss. 3. 13. & Eph. 4. 32.)
22. Est autem illorum amica ac fraterna litium decisio, legibus Civilibus multò expeditior: nec ita animos offendit litigantium, sicut politica, qvæ propter summum jus solet esse molestior.
23. Qvin fuit aliqvando tempus (uti docet liber primus Digestorum) cùm *optimorum qvorumq; arbitria pro legibus essent*: ac hodie etiam Æthiopes Christiani in India, Europæis numerosiores, nullis legibus ex præscripto utuntur, causam suam per se quisq; ore, non libello, agit; Judex autem de omnibus rebus ex æquo & bono statuit; ideò, ne Causidicorum avaritiâ lites protrahâtur; (testibus Sabellico, Enneade. 10. lib. 8. & Damiano à Goes Lusitano, in Æthiopica Historia.)
24. Si cui è Fratribus lis intercedat cum quopiam alterius Ecclesiæ, voceturq; ad Tribunal, sistit se ille foro, ad quodcunq; tractus fuerit. Si verò ipse actor sit, expostulat de injuria sine verborum acerbitate, saltem ut malorum licentia reprimatur. 25. At verò si quis nimiùm sit litigiosus, is ad terrorem, alijs à concordium & quietorum societate segregatur: quòd non deceat Ecclesiam Christi esse contentiosam, cùm ad pacem, non ad jurgia, vocârit nos DEUS: qui adeò hoc abominatur vitium, ut Paulus, legatus ejus, neget illos Regni cœlorum consortes futuros, qvi litibus, irâ, contentionibus, dissidijs, Deum & homines offenduut (Gallat. 5. 20. 21.)

Caput XXIII.

Laus hujus Administrationis: & de Senioribus fæminis.

ATq; hi sunt illi Judices, de qvibus Paulus (1. Cor. 6. 4.) Si *judicia habetis de ijs quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qvi minimi sunt in Ecclesia in subselijs collocate; Ut vos pudeat, hæc dico. Itáne non est inter vos, ne vnus qvidem sapiens, qvi possit dijudicare inter Fratrem suum?* Cap. 5. 12. *Qvid mea interest, de ijs qvi foris sunt judicare? nonne vos de ijs qvi intus sunt judicatis?* 2. Ipse autem Iudex omnium nostrûm, turbam hominum alloqvens: *Cur per vos ipsos non judicatis qvod justum est*, (Luc. 12. 57.) Qvibus verbis id doceri, ut ipsi inter nos, citra severi Magistratûs operam, obortas controversias amicè dirimamus, sopiamusq;, seqventia ibi verba (v. 58 59.) ostendunt. 3. Idem visum est *Martino Bucero* insigni Theologo ita scribenti: *Illa certè ratio optima est, qvam observant Fratres, qvi Fidei suæ Confessionem nuper Ferdinando Regi Bohemorum oblatam, Anno 1535. ediderunt, cum præfatione Doctoris Lutheri: qvi soli propè in Orbe, cum puritate doctrinæ vigorem etiam Disciplinæ Christi, apud se retinuerunt* 4. *Qvam laudem ut ijs tribuamus, & Dominum qvi sic in illis operatur celebremus*, res ipsa nos

sanos cogit: Etiamsi Fratres illi, à præposterè doctis nonnullis, contemnantur. 5. *Ratio verò qvam in hac re observant, hæc est: Præter Ministros Verbi & Sacramentorum, habent certum collegium Virorum, prudentiâ & gravitatê spiritûs præcellentium, qui munus obeunt monendi ac corrigendi Fratres peccantes, componendi diffidentes, & in causis eorum judicandi.* 6. *Excommunicationis tamen sententiam non ferunt, nisi causa delata ad totam Ecclesiam, & communibus sententijs judicata, fuerit; idq́; per supremum Ecclesiæ curatorem.* 7. *De ejusmodi Senioribus scribit & divus Ambrosius, in Epist 1 ad Timoth. Cap 5. Unde synagoga, & postea Ecclesia Seniores habuit, sine qvorum consilio nihil agebatur in Ecclesia, qvod qvâ negligentiâ obsoleverit, nescio, nisi fortè Doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliqvid videri.* 8. Ita Bucerus, in libro hujus Inscriptionis; *Scripta duo adversus Latomum*, Capite de Authoritate Ecclesiæ. 9. Hoc idem fermè agunt in suo sexu Seniores Matronæ: non qvæ judicia exerceant, sed qvæ virorum exemplo, tanqvam Matres familiâs Domûs Dei, puellas nuptas, viduas, famulas, officij commonefaciunt, discordes reconciliant, ne qvam ullâ vituperationem meritò suô incurrat, néve pudicitiam prostituat (facinus apud Fratres exsecrandum) etiam atq; etiam attendunt: & si qvid usqvam qvod dedeceat, qvodq́; fugere conveniat, animad-

nimadvertant, id ob oculos ponunt, & ab illo dehortantur. 10. Eædem sororibus ægrotantibus præstò sunt, contristatas consolantur, egentibus qvâ possunt opitulantur; nuptias deniqve suâ præsentiâ faciunt moderatiores; *Anus sint honestatis magistræ, ut ad prudentiam instruant adolescentulas*, inqvit Apostolus (Tit. 2. 3. 4.) 11. In summa, tam Viri qvàm Mulieres illæ diligenter circumspiciunt, ne sit in aliqvo animus malus, qvi à Deo deficiat; ac ut se omnes gerant, sicut dignum est Deo, vocante nos ad suum Regnum. 12. Ut praxin ejus videas apud Fratres, qvod Paulus præcipiebat Thessalonicensibus (Cap 5. 14) *Monete inordinatos, consolamini pusillanimes, sublevate infirmos, patientes estote erga omnes.* Et paulò ante (v 11.) *Adhortamini alij alios, & ædificate singuli singulos.* Et Hebr. 10. 24. *Observemus alij alios, ut nos acuamus ad Charitatem & bona opera.* 13. Ita enim fit, ut si qvis delinqventium talibus admonitionibus ad se redeat, mores mutet, culpam deprecetur, neve suo lapsu alij offendantur, neu malum exemplum imitentur, obsecret; ut hunc alij moerentem consolentur: consolationi tamen adhibitâ moderatâ qvâdam reprehensione, *Deo genitos non facere peccatum* (1. Joh. 3. 4. 6. 8.) vitet ergò deinceps omnibus modis peccatum, iram frænet, &c. 14. *Qvæ omnia* cùm brevi post exortum Lutherum qvidam Silesius, vir

us, vir clarus & doctus, veri boniq; amans, vidisset, *Fratres Granum Christianorum* appellavit: confessus ingenuè, se tum demum, postqvam horum doctrinam audivit, disciplinamq; & malorum coërtionem cognovit, peccata odio habere, salutiq; suæ diligentiùs incumbere, cœpisse. 15. Similiter præclarus ille *Joachimus Camerarius* in Academia Lipsensi Græcæ lingvæ Professor, scripturâ ornans suâ, more Germanis recepto, album amicorum *Wenceslaij Placelij*, nobilis Bohemi, nunc apud Fratres judicis, hujus sententiæ verba in eo exaravit; *Sicubi gentium nunc est vera Christi Ecclesia, certè apud Fratres Bohemicos est.* 16. Qvod vir tantus haud temerè pronunciavit: sed qvia cùm de ipsis historiam côcinnare haberet in animo, scire priùs eum oportuit, qvales ij essent de qvibus scripturus erat. 17. Multis idem Camerarius de ijsdem Fratribus mecum, præsente celebri illo Medico *Casparo Peucero*, (cujus constantiæ mentis libro VI. in Anno 1568. facta est) Lipsiæ contulit, Anno 1571. cùm tertiò iter facerem in Galliam.

Caput XXIV.

De Excommunicatione.

Cæterùm si qvis animum nefaria cupidè a-

dè amantem ostendit, orbitamq; Christianam identidem excedit, toleratur is qvidem aliqvantisper. 2. Verùm cùm *peccare non esse necessitatis, sed propositi ac voluntatis*, non fallò dicat *Lactantius* (Cap. 27 lib. 4.) nec homini aliô fine tribuatur à Deo prudentia, pietas, temperantia, qvàm ut is vivat, prudenter, piè, temperanter; fit, ut si is à neqvitia, per Seniores politicos, atq; per ipsum Pastorem aliqvoties (clam palam) admonitus, non recedat, neq; resipiscat, tanqvam membrum putidum à Corpore sanæ Ecclesiæ resecetur; & qvasi palmes infructuosus extra vineam Domini eijciatur. 3. Fit, inqvam, talis veluti Ethnicus & Publicanus: nec in Ecclesia illi locus est, cui auscultare renuit. (Matth. 18. 17.) 4. Qvando autem eô res deuenit, *primùm* peccati cômissi magnitudo, & id seqvens irati Dei vindicta, sonti proponitur: *deinde* voluntas divina, de exterminandis Ecclesiâ Sanctorum contumacibus, Satanæq; tradendis, denunciatur: *tùm* re ipsâ seqvitur *impœnitentis excommunicatio, qvi potestate clavium Christi in nomine Patris, Filij, & Spiritûs S. ligatur, fruitioneq; bonæ conscientiæ, & gratiâ Dei privatur; eoq; ex cœtu hæredum vitæ æternæ ejectus, Satanæq; traditus, esse pronuntiatur.* 5. Deinde ab uno Seniorum Cœtûs, aut à Diacono, ex congregatione foràs educitur, statimq; Ecclesiâ ad vitandos tales lapsus commonefactâ, Deus Pater suppli-

ſuppliciter oratur, ne oviculam Paſtoris ſui Chriſti ovili excluſam (ubi à lupis infernalibus animæ illius periculum eſt) diu in peccatis hærere, adeoq; perire, ſinat. 6. Qvæ ſeveritas ideò adhibetur, ne cæteri impunita imitentur peccata; & ne è SanctaChriſti Eccleſia fiat flagitioſorum ſentina, è templo Dei latronum ſpelunca; ac ne vel modicum fermentum omnem maſſam corrumpat, unica morbida Ovis totum inficiat Ovile: néve propter maleficum inter probos toleratum totus cœtus, ipſumq; Evangelium, malè audiret; atq; qvod præcipuum eſt, qvô tali animadverſione malus peccare ſuo bono dediſceret ac deſineret, benefacere autem inciperet. 7. Gravior multò fuit ſub Moyſe in contumaces adverſio. Scriptum enim eſt: *Vir qvi ſuperbiens non obedierit ſacerdoti, aut Judici, moriatur, & auferes malum ex Jſraele, ut univerſus populus audiat, & timeat, nec ampliùs ſuperbè agat* (Deut. 17. 12. 13.) 8. Porrò cöertionis hujusmodi, ſecundùm peccantis gravitatem, ſunt aliqvot gradus. Nam occulta peccata, qvæ qvoqvomodô prodit Deus, occultè puniuntur; aut in Concione, ſuppreſſo ſontis nomine, perſtringuntur: manifeſta apertè, partim publicâ in cœtu deprecatione, & vitæ melioris promiſſione; partim negatâ iſtiusmodi homini Euchariſtiâ; partim eô curâ Paſtoris excluſo, & ut modò dixi, ab Eccleſia depulſo; vel ſi Clericus ſit, Miniſteriô dejecto (*Auferte, inqvit, malum iſtum ex vobis ipſis.* 1. Cor. 5. 13.) 9. In qvos autem eâ gravitate vindictæ animadvertitur, ſunt illi (de qvibus etiam Capite VII.) qvi contemptâ Miniſtrorum Verbi Dei auctoritate, comeſſationibus, ebrietatiq; (ſummo Aqvilonarium vitio) ſeſe dedunt, choreas ducunt, rixantur, homines percutiunt, maledictis gaudent, iniqvo fœnore & injuſtis exactionibus, rem augent, cœde humanâ cruentantur, Venere illicitâ ſe polluunt, immorigeri ſuis ſuperioribus ſunt, peccata peccatis accumulant: breviter, qvi obſtinatè ijs ſe immergunt flagitijs, qvæ Apoſtolo ſunt opera carnis, ac homines Regno Dei excludunt (Gal. 5. 21. & 1. Cor. 6. 9.) 10. Multô verò magis illi excommunicationem merentur, & perferre coguntur, qvi errore hæretico vel idololatrico irretiti, in eoq; perſerverantes, naufragium Fidei fecerunt. 11. Sed qvia hominem Satanæ tradere res eſt magni momenti, non ſolet ſolus Eccleſiaſtes, privato judicio, uſu civitatis Dei cuiqvam interdicere; non qvaſi rei hujus, ratione Miniſterij ſibi commiſſi, poteſtate careat, ſed ne fortè qvis opinari poſſet, qvòd is non ſtudiô gloriæ Dei, ſed vel de ſpirituali lepra judicij inopiâ, vel iracundiâ, odio, invidiâve concitatus, id faciat. 12. Qvamobrem ſi qvis talem pœnam mereatur, de hoc Paſtor Seniores Eccleſiæ facit certiores: qvi de crimine lapſi cum ipſo judicantes, de pœ-

de pœna qvoq; irroganda statuunt. Quorum sententiæ si variant, fit ut prudentiâ Archipresbyteri, authoritateq; Verbi Dei, concilientur. 13. Solent etiam Pastores in rebus magnis totam convocare Ecclesiam, taliaq; negotia expedire absolutâ Concione, ante dimissionem plebis; cùm hanc ob causam, qvòd Ecclesiæ qvoq; concessa sit à Christo ligādi solvendiq; potestas (Mat. 18. 17. 18) tùm qvia primi illius Apostolici Concilij statuta, non solis Apostolis Senioribusq; sed omni congregationi (id enim nomen Ecclesiæ significat) asscribuntur. (Actor. 15. 22.) 14. Corinthij qvoq; illum impurum, novercæ suæ consvetudine usum, Apostoli mandatu *è medio sui ejecturi, Satanæq; tradituri*, congregari jubentur (1. Corinh. 5. 4.) de quo in gratiam recipiendo ita rursum idem; *Cui vos aliquid condonatis, & ego condono* (2. Corinth. 2. 10.) quod similiter factitant Fratres. 15. Quibus ne quis id vitio vertat, quòd illis Auditores sui sint alij sancti, alij minùs; is meminerit etiam Apostolos ita locutos esse, Philip. 4. 22: *salutant vos omnes sancti*, maximè qui sunt ex Cæsaris domo Eph. 1. 1: *Paulus sanctis qui sunt Ephesi, fidelibus in Christo* 1. Cor. 6. 2: *An ignoratis sanctos mundum esse judicaturos?* 1. Tim. 5. 10. de pia Vidua, *si sanctorum pedes lavit*. Acto. 9. 32? Petrus devenit *ad Sanctos*, qui sunt *Lyddæ* &c. 16. Quinhanc

hanc *Sanctorum Communionem*, omnes Catholici Orthodoxi confitemur, & esse credimus: licet eos qui eam violant, contra Christi mandatum, & Apostolorū praxin, Ecclesiæ malo toleremus; qvod non faciunt, eoq; rectè Ecclesiæ consulunt, pij Fratres. 17. Dici enim vix potest, quàm sit hæc vitiorum cohibitio semper utilis, imò necessaria, Ecclesiæ Christi, id præceptum habenti, *ut sit sancta, inculpata, sine ruga & macula; ne qvem offendat, sanctificationem sui in timore & tremore perficiat, se ab omni carnis spiritûsq; inquinamento purget, caveat hypocrisim Pharisaicam, mundi hujus mores fugiat, vetus fermentum expurget*, & sexcenta id genus alia. 18. Maximè verò necessaria est hoc seculo, quô depressa olim Satanæ astu & improbitate veritas, & versa in neqvitiam virtus, Dei beneficiô rursus emergere incipiunt, multaq; laudanda postliminio vindicantur, ac eô unde exciderant restituuntur. Quidni igitur hæc etiam salubris omnium corruptelarum medicina, Ecclesiastica Disciplina?

Caput XXV.

Laudes Disciplinæ Ecclesiasticæ.

Excommunicationis commoda videns, magnus ille & prudens Lutherus, sic de ea (Tomo

(Tomo primo typi Vittebergensis) scripsit: *Excommunicatio non tantùm pro fidei contumacia, sed pro quolibet crimine scandaloso, debet ferri. Quod patet ex Paulo* (1. Cor. 5. 2. Thes. 3.) *Ubi jubet vitari etiam fornicarios, &c.* 2. Sic & Genevenses in Biblijs Gallicis magnæ formæ, super 13. Caput Levitici: *Lepra*, inquiunt, *significat, debere unamquamq; impuritatem separari in Ecclesia, quâ possit cultus Dei corrumpi: significat & verum usum Excommunicationis. Nam perversi & mali, qui in neqvitia persistunt, debent sejungi à corpore & communione Sanctorum.* 3. Et *Calvinus* in Institutionibus Christianis, Libro 4. Cap. 12. Sect. 1. & 2. *Quicunq; vel sublatam Disciplinam cupiunt, vel ejus impediunt restitutionem, sive hoc faciant datâ operâ, sive per incogitantiam, Ecclesiæ certè extremam dissipationem quærunt. Quid enim futurum est, si unicuiq; liceat quod libuerit? Atqui id fieret, nisi ad doctrinæ prædicationem accederent privatæ monitiones, correctiones, & alia ejusmodi adminicula, quæ doctrinam sustinent, & otiosam esse non sinunt.* 4. *Disciplina igitur veluti frænum est, quo retineantur, & domentur, qui adversùs Christi doctrinam ferociunt: veluti stimulus, quô excitentur parùm voluntarij, interdum etiam velut paterna ferula, quâ clementer, pro Spiritûs Christi mansvetudine, castigentur, qui graviùs lapsi sunt.* 5. *Qvum ergò jam immiuere cernamus initia horrenda in Ecclesia*

clesia vastitatis, ex eo quòd nulla est cum nec ratio continendi populi, ipsa necessitas clamat remedio esse opus. Porrò hoc unicum est remedium, quod & Christus præcepit, & semper usitatum inter pios fuit. Primū autē Disciplinæ fundamentum est, ut privatæ monitiones locum habeant, &c, quæ ibi sequuntur. 6. Sunt enim certè quidam ejusmodi Christiani, qui se ipsos propter scelera non solùm Cœnæ Domini, verùm etiam ipsius Ecclesiæ, privant communione: quibus tamen, postquàm se correxerint, reditus ille patere debet, unde ejecti sunt. Ita Christus (Apoc. 2) monet Ephesinam Ecclesiam, inquiens, *memor esto unde excideris, & resipisce & fac priora opera* 7 Et alioqui (ut digressus ab Historia, nonnihil fusiùs hac de re disseram) nisi sub hunc mundi occasum (rebus humanis adeò prolapsis, ut non annus modò, nec mensis, sed dies, posterior fiat priore deterior) servatur in Ecclesijs isthæc rectè vivendi Magistra, quæ peccata hominum magis ac magis erumpentia coërceat, ea quæ prava sunt corrigat, sanabilia ingenia à deploratis distingvat, ac discrimen inter bonos & malos statuat: haud equidem video, quomodo populus, in vitia admodum proclivis, solâ Verbi Dei auditione, & generali illa Concionatorum peccantium objurgatione, in officio, contineri queat. 8. Accedendum est cominùs Pastoribus ad Oves, si eas salvas esse cupiunt:

morbi singularum cognoscendi, cogniti curandi, & quod eis in ore est, id re ipsâ exsequendum, ut sint illis meliores. 9. Alioqui sic in eos graviter invehitur divinus Ezechiel (Cap. 34.) *Væ Pastoribus Israelis! Adipem comeditis, & Lanam induitis, quod optimum est mactatis, gregem tamen non pascitis, morbo affectas non confirmatis, ægrotam non curatis, confractam non obligatis, depulsam non reducitis, nec pereuntem requiritis, sed durè dominamini eis, & per sævitiam: ut dispergantur destituta Pastore, fiantq; cibus omni bestiæ agri* &c. 10. Ac ipsemet Christus (Apoc. 2.) *Habeo adversum te pauca, quòd permittis mulierem Jesabel docere, ac seducere servos meos ut scortentur, & comedant idolis immolata.* Quæ cùm Pastori dicta sint, ejus est videre, ne quid mali geratur in Ecclesia. 11. Paulus verò ita (2. Cor. 13. 2.) *Prædixi, & prædico ut præsens, absensq; nunc scribo iis qui antè peccârunt, & reliquis omnibus, fore, ut si denuò venero, non parcam.* Et paulò post (v. 10.) *Hæc absens scribo, ut ne præsens severitate utar, ex potestate mihi à Domino ad ædificationem data.* Item 1. Cor. 4. 21: *Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis?* 12. Quæ omnia dum apud Fratres observantur, laudem certè merentur: neque enim ullo alio modo meliùs ædificatur Ecclesia, quàm si in facinorosos, censurâ divinâ animadvertatur: *nullo pacto illa magis labascit, quàm si mali eodem cum melioribus loco habeantur, quos Apostolus procul esse à regno cœlesti futuros ait* (1. Cor. 6. 9.) 13. Videt hæc illius Disciplinæ commoda, in militia etiam, laudabilis ille Imp. Romanus, *Alexander Severus*, ut Lampridius testis est. Sic enim inquit; *Commilitiones, Disciplina majorum Rempublicam tenet; quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & Imperium amittemus.* Ac reverâ hoc ita Romano Imperio, prout prædixit ipsius Imperator, pridem accidit; 14. Sed & ipsi Ecclesiæ Romanæ, postquam disciplinam aliô transtulit, evenisse cernimus. 15. Ac nisi hæc virtutum conservatrix planè necessaria Ecclesiæ esset, nequaquam illam primi seculi Christiani retinuissent; nec se olim in universum Orbem Terrarum, quôcunque pervenit Evangelium, tantoperè effudisset; quæ jam, dolendum, progressu temporis planè interijt, solâ ejus remanente umbrâ. 16. Ne hîc Judæos testes apponam: apud quos nulla unquam gravior fuit, ac etiamnum est, interdicti pœna, quàm Excommunicatio. Hinc illud: *Non confitebantur, ne Synagogâ ejicerentur* (Joh. 12. 42. Et 9. 22.) *Constituerant Judæi, ut si quis eum confiteretur Christum, Synagogâ moveretur.*

Caput XXVI.

Antiquorum Patrum de Disciplina Ecclesiastica testimonia.

SEd lubet aliquot de ea è Patribus proferre testimonia. 2. *Cùm peragraremus gentes, Ecclesiasq; confirmaremus, alios quidem multū admonitionibus, & Sermonis medicinâ curatos, ad sanitatem reduximus, cùm morti essent vicini; Eos verò qui nullo remedio curari potuerunt, ab Ovili rejecimus, ne morbi contagione valentes Agni contabescerent: sed puri, mundi, sani, integri, Domin[o] conservantur, atq; hæc quidem ubiq; toto Orbe Terrarum, in singulis Civitatibus præstitimus.* Ita Clemens Pauli Apost. assecla, qvem tertiū fuisse à Petro Romanæ Urbis Episcopū, scribunt, Cap. 8. lib. 6. Constitutionum Apostolicarum. 3. Et Cap. 44 lib. 2. *Versamini vos Episcopi cum ijs, qui propter peccata segregati sunt, eos procurantes, consolantes, confirmantes, dicentesq;, Corroboramini manu[s] dissolutæ, & genua debilitata.* 4. Sic Cap. 20. *Ovis scabiosa cum aliis communicat morbum, nisi separentur ab ea Oves integræ, & homo pestilens à multis cavendus est, & canis rabidus nisi coërceatur, periculosus est omnibus quos attigerit. Si igitur hominem iniqvum ab Ecclesia non separemus, faciemu[s] domum Dei speluncam latronum: non enim oportet*

tet peccantibus connivere, sed coarguere, admonere, urgere, jejuniis affligere, ut aliis timorē incutiamus. Timoratos facite filios Israel, inquit DEUS (Deut. 4. 10.) 5. Et Canon Apostolorum 10. *Si quis cum excommunicato, licèt in domo, preces conjunxerit, communione privator.* 6. Item duodecimo: *Si quis Clericus, aut Laicus, à communione segregatus, seu nondum in communionem receptus fuerit, in longius illi tempus Excommunicatio protenditor.* 7. Tertullianus Afer, Disciplinam sui seculi (circa Annum 225) describens, Cap. 39. Apologetici sui inquit: *Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ precationibus ambiamus orantes: Hæc vis Deo grata est,* &c. *Ubi disciplinam præceptorum inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos, de Dei conspectu: summumq; futuri judicij præjudicium est, si quis ita diliquerit, ut à communicatione orationis, & conventûs, & omnis sancti commercij relegetur. Præsident probati quiq; Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio, adepti.* 8. Sic Eusebius historiæ Ecclesiasticæ, Cap. 22. lib. 4. de Dionysio Corinthiorum Episcopo; *Aliam,* inquit, *Epistolam Ecclesiæ quæ Amastrim obtinet, unà cum alij Ponti Ecclesiis misit, in qua multa de nuptiis & castitate eos hortatur, & eos qui quacunq; casu, sine gravis alicujus peccati noxâ, sine heretico*

retico pestiferoq; errore, Ecclesiâ excidissent, denuò in Ecclesiam, modò se totos converterent, clementer recipiendos præcepit. 9. Origenes, factus Presbyter Cæsareæ Palæstinæ Anno 232, Homiliâ 2. in librum Judicum: *Non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinqventes in manus inimicorum, sed & per eos qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent, non solvendi tantùm, sed & ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis; cùm pro delictis suis à corpore Ecclesiæ separantur.* 10. Cyprianus, octavâ Christianorum persecutione, Anno Christi 258. Capite Truncatus, Epistolâ 11. lib 1: *Interfici DEUS jussit, Sacerdotibus suis non obtemperantes, Judicibus ad tempus constitutis non obedientes: Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat. Nunc autem quia Circumcisio spiritualis esse ad fideles servos Dei cœpit, spirituali gladio, superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neq; enim vivere possunt foris, cùm Domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.* Ambrosius, cui summus dies fuit 4. Aprilis Anni 398: *Ab Ecclesia relegatis sumptus impartiendus, si desit eis alendi copia.* Et in Psal. 118: *Rectè ergò sacerdos vulnus, ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ, quasi bonus Medicus, debet abscindere, atq; prodere virus criminis quod latet.* 12. Augustinus (cui mors vitam ademit 28. Augusti Anno 430, Genserico Vandalorum

lorum Rege Ariano, Hipponem, Patriam ejus, in Africa obsidente) Tractatu 50 in 12 Cap. Johannis: *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur, & quæ solvuntur in Terra solvantur in Cœlo: quia cùm excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cùm reconciliatur ab Ecclesia, in Cœlo solvitur reconciliatus. Si ergò hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit.* 13. Et Tomo 3 de Fide & Operibus, Cap. 2, & 3: *Primùm (inqvit) dico, ne quis ea testimonia scripturarum, quæ commixtionem bonorum & malorum in Ecclesia, vel præsentem judicant, vel futuram prænuntiant, sic accipiat, ut disciplinæ severitatem, sive diligentiam, solvendam omninò, atq; emittendam, non illis edoctus literis, sed suâ opinatione deceptus existimet. Neq; enim, quòd illam primi populi commixtionem Moyses Dei famulus patientissimus perferebat, ideò non in multis etiam gladio vindicavit. Et Phineas Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit: quod utiq; degradationibus, & excommunicationibus, significatum est esse faciendū in hoc tempore, cùm in Ecclesiæ Disciplina, visibilis erat gladius cessaturus.* 14. Ac ante finem capitis: *Ita etiam est ratio dissimulandi, & tolerandi malos in Ecclesia; & est ratio rursus castigandi, & corripiendi; non admittendi, vel à communione removendi.*

15 Et *Zaga Zabo*, Æthiops Episcopus, in suo libello de fide & moribus Æthiopum, quem Damianus à Göes Latinum fecit; *Est*, inquit, *Patriarchæ munus, Excommunicationibus adversus contumaces procedere: quarum tam arcta observatio est, ut etiam prævaricatori pœna perpetuæ inediæ, usq; ad mortem, infligatur. Indulgentias nullas dat, &c.*

Caput XXVII.

De Disciplinæ intermissæ noxa: ejusdemq; Usu & Abusu.

Hæ *sunt Ecclesiæ, & hi Doctores.* (ne plures commemorem) qvibuscum Fratres sentiendo, peccantes ligant, resipiscentes solvunt: ne si hoc non facerent, illorum essent similes Hæreticorum, de qvibus sic Tertullianus in libro *de Præscriptionibus adversus hæreticos* Cap. XLI. 2. *Non omittam*, inqvit, *ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem, qvàm futilis, qvàm terrena, qvàm humana sit, sine gravitate, sine autoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. Inprimis qvis Catechumenus, qvis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici si supervenerint, sanctum Canibus, & Porcis margaritas, licèt non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem*

nem disciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant: pacem qvoq; passim cum omnibus miscent, &c. 3 Nihil hôc verius, solâ olim Disciplinâ floruisse Christianas ubivis gentium Ecclesias: eâ verò luxatâ, fœdè illas deturpatas esse. Nimirum qvia id Ecclesiæ accidere necesse est, qvod Reipublicæ, in qva nec boni præmijs, nec mali pœnis, afficiantur. 4. Dolendum sanè est, non audere nunc eâ qvosdam in suos Auditores uti, qvi tamen ipsis regendi sui potestatem semel tradiderunt: qvodq; ipsi facere verentur, id fieri ab alijs non posse putant. 5. Solvunt igitur tantùm, non ligant; aperiunt Ecclesiam, non claudunt; in communionem sanctorum recipiunt, nunqvam eâ vel pessimos ejiciunt: ligare peccantes, ligatos esse à Deo interpretantur, id est, munere se exuunt suô, & potestate acceptâ à Christo, ultrò spoliant. 6 Atqvi si suâ disciplinâ utitur Magistratus in Politia, si Magistri in Schola, si Imperatores in Bello, si Patres familiâs in ædibus privatis (propterea qvòd sicut virtutes, ita vitia, crescant exemplis): sola eam domus Dei vivi, sponsa Jesu Christi, & Columna veritatis, vibrare in mortua sua membra verebitur? 7. Alibi est, qvàm in rebus Christianorum religiosis, illi dicto Qvintiliani locus: *Frangas citiùs qvàm corrigas, qvæ in pravum induruerunt.* 8 Nondum ita invaluerunt mala nostra, ut hâc Medicinâ, si essent fide-

les Chirurgi, curari non possint: nondum Christiani tales prorsùs facti sunt, ut si qvis res urgeat, legi Dei subjici nolint. 9. Recuperent modò Pastores amissam, vel sibi à Politicis ereptam, auctoritatem, à Domino unâ cum Ministerio acceptam, qvam Apostolus *potestatem ædificandi Ecclesiam appellat:* ac ostendant Populo, qvàm per Disciplinæ intermissionem ij passim per Orbem creverint hominum Mores, qvos nunc meritò aversamur, & ea qvam cernimus Religio, sive potiùs Superstitio: faciantq; à se ipsis, rigore debito, correctionis initium. 10. Abusus, inqviunt Ataxiæ patroni, secutus est Disciplinam: nec alijs artibus Papa Rom. Reges ac Cæsares subegit, qvàm hujus effectu, Excommunicatione. 11. Verùm, ô boni, minimè æqvum est, ut rei per se laudandæ, & qvod majus est, à Christo ipso & Apostolis institutæ, ideò intereat usus, qvòd eam interdum seqvatur abusus. Non tollimus sacram Scripturam, qvam in suam perniciem detorqvent hæretici; non Ferrum, qvo sese interficiunt homines: non Vites ob ebrietatem, qvam illarum succus adfert: non sexum fæmineum, propter tot adulteria & scortationes. 12. Nec id vobis damus, Papam impiorum extra communionem ejectione subjecisse sibi Reges: *miraculis* enim *falsis, doctrinâ perversâ, fraude, superstitione, audaciâ, fastu, & plusqvàm regali potentiâ, hoc aliqvando factu-*

rum fuisse prænunciaverat Spiritus S. (2. Thess. 2. 3. 4.) 13. Ad hoc, impleri oportuit illud Apoc. 17. (v. 8. 9. 10. 11. 12. 13.) de eo qvi nunc est, Domino Romæ, & Principibus Christianis; *Decem cornua qvæ vidisti, decem Reges sunt, qvi vires ac potestatem suam bestiæ tradent. Habes, Roma, qvod sitisti, decanta canticum: qvia per malitiam, non Religionem, orbem vicisti:* sic Abbas Urspergensis. 14. Fateor *Judæos* iniqvè excommunicatione usos esse, cùm suis Synagogis exturbarent credentes in Christum: de qvo in fine cap. XXV. 15. Iniqvè & *Diotrephem* illum, qvi (uti Christo charissimus Johannes secundâ Epistolâ qveritur) Fratres Ecclesiâ temerè eijciebat. 16. Nec benè eam exercuit *Constantinus Papa* in *Philippicum Bardanem*; & *Gregorius* 2. in *Leonem tertium*, Imperatores Orientis, Imagines Sanctorum Templis eijcientes. 17. Crudeliter & superbè *Gregorius* 7. & *Alexader* 3. qvorum ille (tradente id Campo Fulgeso cap. 3. libri sexti Exemplorum) *Henricum* 4. non aliâ ullâ ratione ob venalia qvædam sacerdotia, ad honorem Imperatorium rursus admisit, qvàm hyeme nudis pedibus in nive collo inductâ zonâ, multas horas ad Canussiæ oppidi portas, ubi tunc is Papa degebat, erroris sui veniam petijt: hic *Fridericum Barbarossam*, qvi schisma in Ecclesia concitasse dicebatur, non antè Anathemathe solvit, qvàm

qvàm pronus in Terram pedes ejus osculo veneratus esset. 18. Addunt, Sabellicus in historia Veneta, atq; Johan. Stella, Venetus Sacerdos, in vitis Pontificum, Papam pede pressisse prostrati Imperatoris collum, Venetijs: qvam ego historiam vidi depictam in Palatio Veneto, qvod Anno 1576. conflagravit. 19. Et sic qvidem fulminibus Excommunicationum Regibus olim formidabiles Papæ, nimis malè usi fuerunt potestate à Domino Ecclesiæ Rectoribus datâ, obliti, datam esse in ædificationem, non in destructionem (2. Cor. 13. 10.) 20. At Paulus benè illâ usus est in Corinthio, novercæ incestu contaminato; benè & *Fabianus* Papa in *Philippo Arabe*, inter Imperatores Christianos primo, ob patratam in Gordianum antecessorem ipsius proditionem. 21. Non malè etiam *Innocentius* in *Arcadio Augusto*, qvi pium Chrysostomum Patriarchali honore spoliârat. 22. Iustè & *Nicolaus* 2. in Rege *Lotario*, qvi *Tebergâ* Uxore repudiatâ, alteram loco legitimæ habuit. 23. Iustissimè *Ambrosius*, præsul Mediolanensis, in *Theodosio* Impe. homicida. 24. Item ille alter Episcopus, in ejusdem sceleris reo *Svenone Danorum Rege*: qvod testatur Saxo Grammaticus libro undecimo historiæ Danicæ; ne plura ejusmodi exempla adferam.

Caput XXVIII.

Potestas Ecclesiastica cum Civili non confundenda, nec ab illa impedienda.

ADdunt iidem, qui nunqam viderunt melioribus legibus fundatam Ecclesiam, & Rempublicam, præter eam in qua ipsi nati sunt, *extorqueri è manibus Magistratui gladium, concessâ Presbyteris potestate ejiciendi Ecclesiâ homines nefarios.* 2. Quæ ipsorum opinio quàm falsa sit, documento est Ambrosij & Augustini seculũ, quô floruit hæc Disciplina, cùm jam in Ecclesia esset Christianus Magistratus: & Unitas Fratrum, qvæ ab Anno 1456, usq; adhuc, hâc usa est in contumaces censurâ, absq; Politicæ auctoritatis diminutione. 3. Nec nostrum est adimere Ministris Ecclesiæ hanc facultatem, quam à Christo unâ cũ Evangelio acceperunt. 4. Habet semper aliud Magistratus, quod agat in Republica: discretæ enim sunt Politia & Ecclesia, alia hujus alia illius sunt negotia: aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Apostolus præcipit. 5. Ac diu Ecclesia fuit, & disciplinam exercuit, absq; ope Civilis Magistratûs: nam ad Constantini Magni seculũ, qui religionem Christianam amplexus est Anno Christi nati 312, quo tempore Roma quoque (ut testatur Prudentius)

Augusti sui exemplum secuta, ad Christum conversa est, & pax Ecclesijs per Orbem Terrarum reddita: tam diu eas Dominus varijs infestationibus exercuit, tam diu fortitudinem suorum militum, & fidem Martyrum, probavit. 6. At postquam Ecclesia (ut in Vita Malchi Hieronymus ait) ad Christianos Principes venit, potentiâ quidem & divitijs major, sed virtutibus minor facta est. 7. Quinimò minus molestiarum habet Magistratus in administranda Republica, stabilito in Ecclesia maleficos coërcendi ordine, quam maximè decet ordo. 8. Punit ille qvidem malos; sed & perpaucos, & abjectæ tantùm ferè sortis homines: damnat adulteros & fures, absolvit scortatores, maledicos, ebriosos, ita ut verè poëta dixerit, *Dat veniam Corvis, vexat censura Columbas*. 9. Cumq; ipse Magistratus prout libet vivat, nullius de se subire vult judicium: ob id Deus, justior Magistratus, multis sæpè plagis Civitates & Regna afficit, in qvibus indulgetur sceleratis. 10. Qvod futurum Christus prævidens, dedit ob id Ecclesiæ suæ alios *Vigiles, Duces, Pastores, morum Censores, Ministros, Dispensatores*; additâ illis ligandi, solvendi, remittendi atq; tenendi peccata, potestate, & clavibus Regni cœlorum creditis. 11. Qvos id agere, qvod ipsa eorum cognomina (Vigilum, Ducum, Pastorū, Censorum, &c.) indicant, oportet omninò, si suo munere

nere salvâ conscientiâ fungi velint: alioqvi tam dabunt pœnas illi, à qvo sunt alijs præfecti, hoc si non faciant, qvàm si jure malè utantur suo.
12. Etenim impunitas, qvæ fit Magistratûs conniventiâ, peccati illecebra est: & qvi parcit malis, nocet bonis; qvi ad vitia connivet, eaq; dissimulat, socius malorum habetur. 13. Sed jam Petrum Martyrem, acutissimum Theologum (qvem Tiguri in Helvetia Anno 1557. audijsse juvat,) idem sentientem cognoscamus: *Quô autem commento seu prætextu* (inquit) *rejiciatur hodie in plerisq; locis Disciplina, operæ pretium est audire. Periculū ajunt imminere, ne Disciplinæ colore Ministri Ecclesiæ tyrranidem occupent; corrigant, arguant, excommunicent, non justis de causis, sed pro libidine.*
14. *Ad hec, Magistratus nostros, inquiunt, Dei gratiâ hodiè Christianos esse, ideoq; cùm illi graviora crimina puniant, disciplinam hanc Ecclesiasticam videri supervacaneam.* 15. *Nec attendunt ij svaves homines, nihil à Ministrorum Tyrannide posse timeri, ubi Evangelij doctrina de correctione servatur. Non enim unius authoritati, atq; libidini, hoc munus est concedendum, sed in excludendis à Fratrum societate ijs qui corrigi nolunt, Ecclesiæ consensus est adhibendus: cujus authoritate si agatur, nemo de unius aut paucorum tyrannide, jure poterit conqveri.*
16. *Neq; minùs frivolum est, quod affertur de Christiano Magistratu, siquidem bona ex parte Principes nostri*

nostri Orbis Antichristi Romanensis legibus obtemperant. & idcirco instauratis ac reformatis Ecclesiis infensi sunt; tantùm abest, ut quicquam velint illis commodare. 17 *Ad hoc sicubi à Papa defecerunt, & in suo principatu Ecclesias Evangelicas habent, nō utiq; aliis legibus, quàm Cæsareis aut Civilibus judicant; quâ re tamen, ut divinis literis acriter taxantur, ita Ecclesiæ Christi non vulgariter nocent.* 18. *Exemplo sunt scortationes, ebrietates, luxus & hujusmodi vulgares pestes, quæ à civili judicio dissimulantur, & à corrupta plebe ridentur.* 19 *Deinde Magistratus Politicus, per multa crimina vel carcere temporario, vel pecuniaria mulcta, castigat: quâ cùm quis luerit, vel in corpore, vel in ære, liber dimittitur, neq; ulteriùs providetur saluti animi ejus qui peccaverit.* 20. *Verùm Ecclesia ita corripit, & interdum excommunicat, ut Spiritus salvus fiat in die Domini: neq; hoc pacto castigatus, vel ad tempus donec resipuerit pudefactus, ut hostis habetur, verùm de salute sua, ut frater charissimus, admonetur.* 21 *Ad hanc verò, de qua loquimur, Disciplinam inducendam & retinendam, conducit plurimùm assidua Scripturarum tractatio in Ecclesia: ibi enim perpetuò loca se offerunt, ad quorum præscriptum Vita Christianorum exigenda est.* 22. *A Patribus quidem, & à Conciliorum Canonibus, multa interdum, quod fatendum est, satis utilia præcipiuntur: Sed quæ fuerint ex ipso sacrorum librorum commen-*

mentario deprompta, longè potentiora sunt, & ad movendos animos efficaciora. 23 Ita Martyr Anno 1556, Februarij 14, ad Ecclesias Polonicas: quæ tunc primùm turmatim emergebant ex idololatria & licentia Pontificia, magnaq; cum difficultate inveteratos mores relinquebant, *adeò bonis malisvé assuevisse magnū est*; de quo libro quinto satis superq; dictum. 24. Quare meritò laudandæ sunt Ecclesiæ Scoticæ reformatæ, quòd in illis vigeat hoc Censuræ exercitium: ubi is qvi fœdo aliquo peccato & Deum & Ecclesiam offendit, *stat foris, extra Templum, tribus Dominicis diebus, vilissimâ veste indutus* (saccus id olim Judæis erat) *sordibus obscurus, capite pedibusq; nudis: aliis interim rei divinæ intùs vacantibus: dehinc publicè deprecatur offensos.* (Id ego percepi ex Joha. Skineo Nobili Scoto, nūc Regio Causidico, qvocum vixi Vittebergæ Anno 1570.) 25. Sic de *Genevensi Ecclesia* celebris hujus tempestatis scriptor, Jo. *Bodinus* (Cap. 6. Methodi historiarum primæ editionis): *Sed illud,* inquit, *apud Genevates laudabile, si quid usquam gentium, quodq; Rempub. efficit, si non opibus & Imperij magnitudine, certè virtutibus & pietate, florentem: illa scilicet Pontificum Censura, quâ nihil majus ac divinius cogitari potuit, ad coërcendas hominum cupiditates, & ad vitia, quæ legibus humanis, ac judicijs, nullo modo emendari possunt.* 26. *Hæc autem coërcio ad Christi nor-*

normam dirigitur, latenter primùm & amicè: deinde paulò acerbiùs; tùm, nisi pareas, seqvitur interdictio Sacrorum gravis & efficax; interdictionem, animadversio Magistratuum. 27. *Ridiculum est enim, ait Seneca, ad legem bonum esse; ita fit, ut qva legibus nusqvam vindicantur, illîc sine vi ac tumultu coërceantur, ab ijs Censoribus, qvi summam virtutis opinionem de se ipsis excitârunt. Igitur nulla meretricia, nullæ ebrietates, nullæ saltationes, nulli mendici, in ea Civitate reperiuntur.* 28 Ista sunt Verba Bodini, Juris consulti Parisiensis: adeò vera, ut ipse qvoq; qvi eadem illîc vidi geri, nihil possem scribere certius. 29. Ex eadem Genevensis disciplinæ officina prodijt ille, qvi propter veritatis Evangelicæ constantem amorẽ ad dirum mortis trahendus supplicium, hæc ad suos collegas ex carcere scripsit: *Præter Baptismum & Cœnam Domini credo tertiam notam, sive insigne Ecclesiæ, esse Disciplinam Ecclesiasticam; eamq; maximoperè utilem, fructuosam, atq; necessariam esse in Ecclesia Catholica, ad consolationem piorum & animadversionem improborum: eiq; me subijcio, qvippè qvam scio esse à Christo in Evangelio institutam, & ab Apostolis in Ecclesia primitiva observatam, atq; usurpatam, ut omnia rectè atq; ordine fierent, qvemadmodum honestas ipsa in omni hominum cœtu necessaria desiderat. Credo potestatem vinciendi & solvendi, id est excommunicandi & absolve*

solvendi, qvæ vulgò Claves Ecclesiæ appellantur, à Deo donatam esse, non uni alicui homini, vel duobus, vel propriè ac peculiariter, qvibusdam certis hominibus, sed Ecclesiæ Universæ. 30. Ita *Annas Burgensis*, Senator Parisiensis, & piè & verè, si plus de Auctoritate Ministrorum Ecclesiæ addidisset, qvorum est remittere Christi nomine peccata resipiscentibus: Qvi tamen nihilominus (21. Decembris 1559.) vivus combustus est ab Antichristianis, qvemadmodum ante eum permulti alij, qvorum hic fuit vltimus. 31. Non multò enim pôst, læsâ toties Evangelicorum patientiâ, exarsit in Gallia Bellum intestinum perqvam cruentum, Pontificijs crudelibus semen Dei neqvicqvã exstirpare conantibus: sed ne alienis recensendis longiùs efferar, redeat ad propositum oratio.

Caput XXIX.

Circa recipiendos in Ecclesiam ritus: & de Cœnæ Dominicæ efficacia.

Exclusus quispiam ob neqvitiam cœtu sanctorum (de quibus Capite XXIV. 15.) tantisper extra Ecclesiam Christi esse creditur, donec manifestis ostendat documentis animi sui serium dolorem, & mores multò meliores. 2. At-

tamen ei, si libeat, licet pro foribus ædis divinæ (in quam ipsi celer reditus ad prius ovile, gregemq; Christi, optatur) Verbum Dei ex Ecclesiaste audire, quò illius auditione citiùs, mollior fiat, & melior. 3. Sed ad mensam Domini propterea non admittitur, quòd illa mystici Panis manducatio, & Vini potus, sit, cùm Christi Corporis nobiscum communicatio, tùm firmum vinculum Ecclesiæ, ad quam palmes resectus non pertinet. 4. Recipiendus autem rursus in societatem ejus congregationis, quâ meritò suô exciderat, id peccatum quô invisus factus erat Deo, electosq; ejus offenderat, propalam confitetur, & illa agit, quæ sub finem Capitis XXIII. dicta sunt. 5. Quòd verò oporteat eum, qui deliquit, sui peccati pudore affici, docet exemplum Mariæ sororis Moysis: quæ mandatu Dei septem diebus extra castra cum pudore egit pœnitentiam. (Num. 12. 14. 15.) 6. Similiter quondam Philippus, primus Christianus Cæsar, Anno Domini 246, (vel eo circiter) cùm in die postremæ vigiliæ Paschatis, simul cum reliqua multitudine vellet esse in Templo, particeps precationum, & Cœnæ Dominicæ, non priùs ab Episcopo Fabiano permissus est ædem sacram intrare, quàm se peccasse fassus est, & inter eos, qvi peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumq; pœnitentiam agentibus præstitum occupabant (ô felix tali censurâ seculum!) se sua sponte collocasset: Eusebius lib. 6. Eccles. Hist. 7. Ac de Theodosio Imperatore Sozomenus, libro 7. cap. 24. *Ambrosius*, inqvit, *Theodosium Imp. ab Ecclesia arcuit, & à communione seclusit: is vero publicè coram Ecclesia peccatum confessus est.* Addit de eodem Imperatore Augustinus (lib. 5. cap 26. civit. Dei:) *Ecclesiasticâ coërcitum disciplinâ, egisse prostratum pœnitentiam.*

8. Cœterùm accidit Fratribus non raro, ut pervicaces, qvos culpam agnoscere, seqve corrigere, pudet, pulsi domô Dei, associent sese Augustanæ Confessionis sectatoribus, ubi insontibus ejusmodi plectendis lenior est Ecclesiastica severitas, Civili Magistratu, id qvod est Ecclesiastici, qvadá ex parte obeunte; qvanqvam in Polonia certæ conditiones Concordiæ & Consensûs, bonis qvibusq; gratæ, jam transfugis ejusmodi viam præcluserint; in Synodo Anni 1570. 20. Maij, (qva de re libro VII. in eodem Anno.) 9. Alij ad Papatū (ubi magna est impunitas) errorumq; papisticorum lacunas, tanqvam sues ad Volutabra sua, revertuntur, ut discipuli qvondam Christi ad Pharisæos & sacrificulos Aaronicos redibant (Joh. 6. 66.) 10. Cœteri autem, qvorum corda emollit Deus, cùm rursus Corpori Ecclesiæ inseruntur, miram reditu suo ad frugem, & ipsimet declarant, & alijs qvi hoc illis gratulantur, excitant, animi lætitiam: Pastores verò sæpe cum illis sunt

lis sunt, ut eos in renovato pietatis genere, confirment, qvidq; in posterum cavendum ipsis sit, erudiant. 11. Neq; tamē sub tali Disciplina nō est illa, qvæ esse debet, Pastorum in plebem Dei indulgentia: est non parva, sed talis qvæ nullam ferat impietatem. Nempè tantô flagrant amore Dei, peccato odio habentis; & amore animarū, peccati veneno pereuntium: probantq; illum Phineæ Sacerdotis zelum (Nume: 25.) licèt ferrum, sicut ille, peccantibus non adhibeant; Magistratui Politico relinqventes; sed velut boni Medici, morbis, ne serpant longiùs, maturè occurrunt. 12. Eadem illorum est vigilantia circa sacram Liturgiam: cujus causâ potissimùm adhibetur isthæc morum censura; & qvam illi, Græcum Verbum lingvâ suâ exprimentes Posluhowánj/*h. e. Ministeriū*, vocant. Hæc toties peragitur, qvoties Pastor plebem in vera fide frigidiorem, atq; in certaminibus Spiritualibus remissiorem factam, tam salutari refectione opus habere animadvertit. 13. Cùm enim Sacramentis, sententiâ Patrum Orthodoxorum, sua insit vis spiritualis, invisibilisq; gratia, hujus effectus Fratres in suo Catechismo ita expresserunt: *Eucharistiæ participes corroborari in fide de gratuita peccatorū remissione, & in spe vitæ æternæ; sumereq; majus incremētū in pietate, & fraterna Charitate; & reddi alacriores ad obeundas suas functiones, &c.* 14. Plus tamen

tamen aliqvantò Beza, qvamvis Calvinianus, huic Sacramento tribuit, dum ita scribit: *Qvum non tantùm remissionis veterum peccatorum obsignationem, sed etiam recentem eorum qvæ qvotidie committimus remissionem, in Christi Corpore & Sangvine nobis communicato conseqvamur: qvis nihil ex Cœna Domini nos reportare, nisi planè insanus, dixerit? ut interim omittam, qvod minimè reticui, dubium non esse, qvin nova etiam peculiaria dona interdum suis Dominus, in ipso Usu Cœnæ, largiatur.* Ita ille Apologiâ 2. ad Claudij de Xianctes responsionem paginâ magnæ formæ 363. 15. Ac certè si cibi corporei esus, Viniq; potus, efficit homines robustiores, hilariores, & curas animis illorum eximit: multò id facit magis in corde, virtutum sede, hic mysticus cibus, Carnis nempe Christi, Sangvinisq; sacramentalis manducatio ac potus. 16. Plerūq; tamen apud Fratres qvater hoc fit annô: qvô sit plus spacij ad animorum præparationem. Nempe festis solennioribus, nati, mortui & ad vitam reversi Domini Iesu, Spiritûs S. conspicuâ specie in Apostolos demissi, atq; in autumno, cùm Deo grates pro fructibus Terræ redduntur. 17. Nonnunqvam etiam Bacchanalium tempore, qvô carnales Christiani maximè insaniunt; idq; servato delectu accedentium, ne si is prætermitteretur, aliqvi indigni, Canes & Porci à Christo vocati, sancta profanent

 myste

mysteria, néve imprudentiâ suâ ijdem attrahant sibi ipsis exitium. 18. *Qvi enim edit & bibit in, dignè, damnationem sibi edit & bibit, non discernens Corpus Domini. Propterea multi sunt inter vos debiles, invalidi, & moriuntur multi*, ait Apostolus 1, Cor. 11. 29. 30. 19. Qvæ verba horrenda sunt, nec olim Pascha indignè manducantes talis ultio seqvebatur: nempe qvòd ibi umbra & imago futurorum bonorum fuerit; hic sit corpus & res ipsa, licèt invisibilis. Ideoq; hoc mysterium *Pascha Spirituale* appellat Chrysostomus Tomo 3, Homiliâ de proditione Iudæ. 20. Qvin & morituris hoc gratiæ Dei pignus præbent Fratres: ac dictabat S. Augustinus, (teste Volaterrano, Antropologiæ lib. 21.) *etiam Sanctis Viris in extremo positis, minimè esse negligenda hæc Sacramenta*; qvæ & ipse sumsit migraturus è Vita Anno 437.

Caput XXX.

Ritus præparandi Convivas ad sacram Cœnam.

QVamobrem Ministri Sacrorum, ut meliùs præparent populum ad hoc divinum Convivium, duobus tribusvè antè hebdomadis celebratum iri prædicunt: qvò interea secum qvisq; de eo cogitet, se Christi auxilio à peccatis resipiscentiâ, precationibus, jejunijs, eleemosynis, purget, ac in fide probet, vivàne ea an fructibus vacua sit. 2. Id qvòd illa Israëlitarum purgatio sui ante Pascha, figurâ qvâdam futurum designabat: *Ascenderant multi Hierosolymam ante Pascha* (inqvit Evangelista) *ut sese purificarent* (Ioh. 11, 55.) Et Numerorum capite nono prohibetur, ne qvis *immundus* (*qvoad se mense uno interjecto mundaret,*) *cum alijs Pascha ederet*. 3. Ubi Mystæ, qvos *horum mysteriorum velle esse participes cognoscunt*, (dant autem operam, ut omnes simul faciant) jubent antè singulos, præsertim rudiores, colloqvij hac de re, consilij item gratiâ, ad se venire in Templum: valde utiliter. 4. Non omnes enim nôrunt sese probare; nec qvicqvam est æqvè difficile, ac se, suaq; vitia nosse, & illa cavere: nemo non naturâ sibi blanditur, peccataq; sua apud se extenuat, ac vix millesimus hominum suos morbos sentit. 5. Rarus est, qvi à vitijs ultrò recedat; multò rarior, qvi ea libenter Ministro Ecclesiæ confiteatur: adeò amor sui inest omnibus & innata nobis hypocrisis, qvam inde à primis nostris parentibus, manifestissimum suum peccatum occultare volentibus, hausimus. 6. Adhæc, sunt qvædam ejusmodi peccata, qvæ vulgò levia putantur; ut alteri temerè irasci; minuta qvædam alijs surripere; aleâ tempus perdere;

dere; negligenter officium facere; fatuum eum, qvi non sit, vocare; libidine oculos pascere; nomine divino abuti; maledicere, otiari, nugari, garrire; multaq; his similia: qvorum gravitas in castigando utiliter ostenditur, qvæ in patrando non sentiebatur. 7. *Utile sibi* (inqvit Isidorus in Exomologesi) *ac jucundum qvisq; existimaverat rapere, adulterari, furari: sed ubi hæc æternæ damnationi obnoxia esse cognovit, confitetur errorem. Confessio autem erroris, professio est desinendi.* 8. Est autem Ministrorum Ecclesiæ (qvi sunt qvædam reconciliationis media) de Lepra spirituali judicium ferre; Canibus sancta subtrahere; fideles his ministeriorũ Dei dispensatores esse; hædos ab Ovili segregare; alimenta familiæ Domini suo tempore, certâ mensurâ, distribuere; vigilantes domûs Dei speculatores ac custodes esse; homines secundum Christum Deo reconciliare; peccata illorum alia tenere, alia remittere: qvod fieri haud potest, nî ea voluntariâ peccantium confessione cognita habeant. 9. Præterea eorundem est, perturbatam magnitudine delicti hominis conscientiam, prudenti consilio pacare; metu de spe misericordiæ Dei, usq; ad Cœlos pertingentis, eximere: qvod qvâ fieret, nisi ij in familiare colloqvium cum uno qvoq; sigillatim venirent? 10. Seipsum post peccati Deo factam confessionem absolvere, hominis est inflati, au-

ctoritatem Ministerij vilipendentis, Ministrum magis qvàm DEUM, peccato offensum, reverentis, & disciplinam institutumq; Christi contemnentis. 11. Qvid? morbos Corporis Medico aperiemus: animi verò labes, lapsusq; nostros, legatum Christi, potestate eos condonandi, remittendiq; resipiscentibus, præditum, cælabimus? 12. Aut ubi locus opportunior, commodiorq;, illi Apostolicæ doctrinæ (de qva Paulus ad Timotheum) *redargutioni falsarum opinionum, correctioni hominum pravorum, eruditioni insipientium, consolationi tristium?* 13. *Probet se ipsum homo*, ait Apostolus: sed addit ipse Christus, *Qvi ex Deo est, vadit ad lucem* (lucem Ministerij Christi, solventis & ligantis peccata) *ut judicentur opera ejus, rectène an malè seipsum qvis probet.* 14. Idem faciendum censuit *Calvinus*, Gallicorum Theologorum Coryphæus, cùm ita scriberet; *Ergò id officij sui unusqvisq; fidelium esse meminerit, si ita privatim angitur & efflictatur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adjutorio neqveat, non negligere qvod illi à Domino offertur remedium; nempe ut ad se sublevandum privatâ Confessione apud suum Pastorem utatur, ac ad solatia sibi adhibenda privatam ejus operam imploret, cujus officium est, & publicè & privatim populum Dei Evangelicâ doctrinâ consolari, &c. Qvæ tamen confessio non ab omnibus exigatur, sed ijs tantùm commendetur, qvi eâ se*

eâ se opus habere intelliget. Ita ille Instirut. Christ. lib. 3. Cap. 4. distinct. 12. 15. Et Distinctione sequenti: *Interim qvin sistant se pastori Oves qvoties Sacram Cœnam participare volunt, adeò non reclamo, ut maximè velim hoc ubiq; observari: nam & qvi habent impeditam conscientiam, referre inde possunt singularem fructum; & qvi admonendi sunt, monitionibus ita locum præbent: modò semper absit tyrannis, & superstitio.* 16 Nec aliter *Martinus Bucerus*, de Luthero cum ipsius Symmystis loquens; *Optant*, inquit, *omnes, ut in Ecclesia etiam privata absolutio conservetur; & propter consolationem conscientiarum, & quia valde utilis est Ecclesiæ disciplina illa, in qua privatim audiuntur homines, ut imperiti erudiri possint. Nam profectò tali colloquio, & examine, opus est rudioribus: neq; ideò vetus Confessio, & delictorum enumeratio, probanda aut requirenda est: sed Colloquium illud propter absolutionem, & institutionem, conservetur.* Ita Bucerus in scriptis Anglicis, quæ *Articulorum de Concordia* titulum habent. 17. Jacobus quoque Prilusius, Evangelicus magis quàm Pontificius, statutorum Regni Poloniæ libro 5. Cap. 14. ita (Anno 1550.) scripsit: *Aculeus concupiscentiæ ex nostra carne non eximitur, donec sumus in hac vita, compesciq; adeò nequit, quin adversus Spiritum erigatur & militet. Cùm verò in hoc conflictu rarò victores evadamus, sæpè autem victi manus demus peccato:*

cato: idcirco terrore Legis, quam transgredimur *proximo reconciliamur, quem offendimus, & ad pedes Presbyteri nos abjicimus, qui pro habitu delinqventium, impœnitentes vel pœnitentes, annunciatione iræ vel gratiæ DEI, ligat vel solvit; ut cum Ninivitis jejunantibus, Petro autem plorante, in spem gratiæ Christi fide erigamur.* Ita Prilusius, & Theologus & Juris Consultus Cracoviensis. 18. Verùm & ij qvi sunt Augustanæ Confessionis, ante Cœnæ Domini participationem, ex præscripto Lutheri, quisque pro se privatim peccata confiteri (sed generaliter: quis enim singula enumeret?) solent: quam Confessionem sequitur verbis Pastoris absolutio. De qua Confessione, & Bucholcerus Isagoge Chronologicâ, Anno 1523: *Vittebergæ Canon Missæ abolitus est, revocata item in usum Confessio Auricularis, & privata absolutio, quam Carolostadius aboleverat.*

Caput XXXI.

De tali in præparando diligentia Veterum testimonia.

ADjiciamus neotericis veteres, & concordiam utrorumque paucis ostendamus. 2. Cyprianus sermone de lapsis; *Qvantò & fide majo-*

majore & timore meliore sunt, qvi qvamvis nullo sacrificij, aut libelli, facinore constricti: qvoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei, dolenter & simpliciter, confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licèt & modicis vulneribus, exqvirunt. 3. Hieronymus in Cap. 16. Matthæi: Episcopus vel Presbyter pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qvi ligandus sit, qvive solvendus. 4. Chrysostomus homilià 3. super Matthæum: Confessio peccatorum testimonium est conscientiæ timentis Deum, & habet pudorem. Erubescere verò pœna est gravis. Sed ideò Deus jubet confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro pœna. 5. Porrò qvod ait Chrysostomus, Deum jubere nos confiteri peccata nostra, illud opinor intelligit, qvod est Num. 5. 6. 7. Cũ vir aut mulier aliqvod peccatũ humanũ commiserint, fatebuntur peccatũ suũ, &c. 6. Citat & Beatus Rhenanꝰ (Annotationibꝰ ad librũ Tertulliani, de Pœnitẽtia) hæc verba Theodulphi Aureliani Episcopi, ex libro ejus, de Ecclesiasticis observationibꝰ; Inprimis (inqvit) confitendum est Deo, postea etiam Sacerdoti; propterea qvòd Confessio qvæ fit Sacerdoti, in hoc nobis adminiculum præbet, ut accepto salutari ab eo cõsilio, saluberrimis pœnitẽtiæ observationibꝰ seu mutuis orationibꝰ, peccatorũ maculas diluamus. 7. Sed nos omissis Patrum sententijs, id quod reli-

reliqvum est de Fratribus referamus: qui eliminatis abusibus Confessionis clanculariæ Papisticæ, verum & necessarium ejus usum sedulò retinent; habeturq; in ipsorum Catechismo peccata confitendi generalis forma, paucis deducta verbis ex divinis mandatis, quæ sæpè transgreditur humana imbecillitas. 8. Ita ea olim in genere confessus est Vates Daniel: Obsecro Domine Deus, peccavimus, & iniquè impieq; egimus; rebellavimus & recessimus à mandatis tuis, neq; obedivimus servis tuis Prophetis. Tibi Domine justitia, nobis autem pudor faciei! &c, (Dan. 9. 4. &c.) 9. Sic & Esaias Cap. 42. Quis exponit proculcationi Jacobum, & Israelem diripientibus? Nonne Jehova cui peccavimus? nec voluerunt vijs ejus ambulare, neq; paruerunt legi. 10. Ita Nehemias, capite 1. v. 6. Confiteor tibi, Jehova DEUS, peccata filiorum Israël, qvæ commisimus, ego & domus patris mei: graviter peccavimus tibi, & non custodivimus præcepta tua. Et Cap. 9. Steterunt & confessi sunt peccata sua, & patrum suorum, &c. 11. Similiter Salomon (Proverb. 28. 13.) Qui tegit scelera sua, non aget prosperè; qvi verò ea confitetur, & relinqvit, misericordiam conseqvetur. 12. De Confessionis forma multa legũtur in sanctis libris, illud elegãs Psal. 32. Dixi, Confitebor adversũ me prævaricationes meas Iehova, & tu remisisti iniqvitatẽ peccati mei, (Quodnam peccatum David ita confessus fuerit Deo,

Deo, omnibus hodie notissimum est.) 13. Quomodo autem id confessum ivit? Certum est ex præscripto legis (Levit. 4. 12: *Si Princeps peccaverit* &c) eum ivisse in Templum, seu Tabernaculum Domini, cum hostia pro peccato, ut Sacerdos offerret, & oraret, pro dimissione peccati ipsius. 14. Ita igitur coram Pastoribus suis Fratres quoq; confitentur, ante participationem Cœnæ Domini, peccata sua, ut ab illis per Christi vicarium absolvantur: sed post seriam confitentis, cùm reprehensionem tùm admonitionem. 15. Si quid autem occulti in aliquorum animis hæreat, quod eos inquietet, ac indignos sacris epulis faciat, idq; ipsimet ultrò fateantur, ut ingenui solent: svadet Pastor, ut tantisper Mensâ Domini abstineant, donec se planè expediant, conscientiam læsam tranquillent, sordes animi cuncta purgante pœnitentiâ abluant, & offenso satis faciat. 16. Sin aliquos valdè perplexos, & à consciẽtia nimis laceratos cognoscat: tum verò perterritas illorum mentes divinis solatijs erigit (qvanqvam, qvòd eo usq; peccando progressi sint, ut proprio etiam judicio damnationem incurrerint, graviter priùs increpare non intermittat) datâq; resipiscẽtibus, & verè dolentibus, loco Christi, cujus legatus est, dexterâ, reconciliationem peccantis cum Deo testante, admittit ad mysteria, qvæ gratiæ divinæ sigilla sunt. 17. Accidit autem nonnunqvam, ut siqvis crimen Pastori confiteri erubescat aut posthabeat (ut si Fratri suo diu irascatur, si genio indulgeat, si aliud qvid simile patret,) Pastori verò id aliunde innotuit: is tanqvam hypocrita verbis castigetur, qvòd illotis manibus sacra sumere voluerit. 18. Qvæ omnia Fratres syncerus humanæ salutis amor facere jubet, ne qvi scilicet indignè ad divina accedentes, digni incurrant Dei pœnas. Absq; hoc sit tam illis factu promptum esset omnes promiscuè admittere, qvàm hoc alibi complures Ministri, nescio qvâ conscientiâ ferunt. 19. Unde ij omnes in populo effectus, qvos Apostolus de non dignè manducantibus corpus Domini enumerat: culpâ certè Pastorum, indignos admittentium, nec eis manus cum Sacramento subtrahentium. 20. Atqvi si Apostolus pios simplici etiam cibo cum impijs vesci prohibet (1. Cor. 5. 11,) qvantò cavendum est magis, ne ijdem Mysticum cum illis communem habeant? 21. Qvamobrem denunciat antè Mysta, qvi hâc Cœnâ indigni sint: ut sese interea qvilibet, an Corporis Christi communione dignus sit, probare possit. 22. A communione autem si qvis absit, aut præsens non accedat: Pastor hujus rei causam exqvirit, & cum tali expostulat, qvòd credendo Sanctorum communionem, vinculum tamen tesseramq; ejus parvi fecerit. 23. Similem fuisse priscorum Christianorum de eo curam,

curam, hæc declarant: *Nullus Catechumenus, nullus infidelis, nullus hæreticus, ne qvis contra aliqvem, nè qvis in hypocrisi, &c.* Clemens Constitutionum Apostol. cap. 15. lib. 8. Et cap. 20. narrat, solitum fuisse ante communionē Diaconum ita clamare; *Sancta Sanctis.* 24. Qvod & Cyrilli, Alexandrini Episcopi, atq; Chrysostomi seculo in usu fuit. Sic enim ille (lib. 12. in Johan. cap. 10.) *Accedentibus*, inqvit, *ad benedictionem Mysticam, Ministri Mysterij magnâ voce clamant* SANCTA SANCTIS! solis sanctificatis spiritu, tactum & participationem Corporis Christi congruere significantes. 25. Ita & alter, (Chrysostomus Tom. 5. homiliâ 6. ad Populum Antiochenum: *Hæc dico, volens vos semper ad sancta accedere: propter hoc & Diaconos acclamat tunc, Sanctos vocans, & per hanc vocem omnium taxans maculas.* 26. Porrò *sancti sunt* (ut idem inquit homiliâ 29.) *omnes, quotquot cum Vita bona Fidem rectam habent; licet signa non faciant, licet Dæmonas non eÿciant. Si sanctorum*, inquit, *pedes lavit.* 27. Præterea Clemens (lib. 7. Cap. 27.) ita habet: *si qvis Sanctus est, accedat: qvi non est, fiat per pœnitentiam.* 28. Justinus Apologiâ 2: *Hoc alimentum apud nos Eucharistia vocatur, ad quod nemo admittitur, nisi qvi credit veram esse nostram doctrinam, ablutusq; est regenerationis lavacro in remissionem peccatorum: & qui ita vivit uti Christus tradidit.*

29. Rursum Chrysostomus (homiliâ 83. in 26. C. Matt. ita Ministros Ecclesiæ monet: *Nullus accedat crudelis, nullus immisericos, nullus impurus quovis modo; hæc tàm ad vos qvi cōmunicatis, quàm ad vos qvi ministratis, dicta esse volo. Non parva vobis imminet pœna, si quem aliquâ improbitate teneri scientes, ei hujus Mensæ participationem permittatis. Sangvis enim ejus ex manibus requiretur vestris. Si Dux igitur quispiam, si Consul ipse, si qvi Diademate ornatus, indignè adeat, cohibe ac coërce: majorem tu illô habes potestatem.* 30. Et paucis interpositis: *Omnes simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet nisi ex discipulis sit; nullus impuro animo, sicut Judas, panem assumat, ne similia patiatur. Quòd si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ista fieri: animam primò tradam meam, quàm Dominicum Corpus indignè: Sangvinemq; meum effundi patiar, quàm sacratissimum illum Sangvinem, præterquàm digno, concedam. Quod si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est.* 31. Sozomenus lib. 7. Cap. 24. hæc refert verba Ambrosij Episcopi, ad Theodosium Imperatorem: *Siste gradum; homini enim ob peccata profano, & manus innoxio sangvine commaculatas habenti, fas non est antequàm pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi soliū, vel ad divinorum mysteriorum Comunionē admitti*, &c. 32. Sed pluribus, in re tam per se laudanda, testibus, quid opus?

Caput XXXII.

In celebranda sacra Cœna ritus Fratrum. Cum appendice de Sacramentis.

QUod Chryſoſtomus monet, hoc prorſus Fratres faciunt: quando nonniſi diſcipulis Chriſti, veris ſcilicet Chriſtianis hoc gratiæ divinæ pignus proponunt, ac offerunt. 2. Nam ante ipſam communionem adhuc, de vero Myſterij hujus uſu Concio habetur. 3. Mox fit publica, verbis Miniſtri, peccatorum Eccleſiæ Confeſſio; ſimulq; precatio, ut illa Pater cœleſtis, filijs ſuis ſæpè labantibus propter Chriſtum ſemper propitius, clementer condonet, eos mundet, juſtificet, intùs renovet, tranqvillet, per Spiritum ſuum confirmet, & dignos ad participandum verum Corpus & Sangvinem filij ſui efficiat. 4. Confeſſionem hanc, & precationem, ſeqvitur è promiſſionibus divinis ardenter concepta à peccatorum reatu Abſolutio. 5. Hanc excipit teſtamenti Salvatoris mundi prælectio, ejusq; talis interpretatio, ut viſibilia Symbola (minimè mutatis ſuis naturis, ſed Sacramentali ratione, ſecùdùm Auctoris inſtitutionem, & de eis teſtificationem) omnes credant eſſe ipſum Corpus Domini in cruce expanſum, & ſangvinem pro nobis effuſum

ſum in remiſſionem peccatorum: qvæ ut jam ſumant participatione ſpirituali, per fidem, in ſalutarem perceptionem omnium bonorum, ejus morte nobis partorum. 6. Ibidem ſuper Pane & Vino, deſtinatis huic à Chriſto inſtituto uſui, preces ad Deum funduntur: qvod Apoſtolo eſt *Poculum benedicere*, cùm ita inqvit (1. Cor. 10. 16.) *Poculum benedictionis, qvod benedicimus, annon cõmunio ſangvinis Chriſti eſt?* ac ſi diceret, qvod ſumimus cum benedictione, precatione, & laude Dei. 7. Atq; ita illud fit, qvod Auguſtinus in *de Cataclyſmo* ſcripſit; *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* 8. At verò ſi qvi Miniſtro ignoti, id eſt hoſpites & advenæ (Paſtor enim ſuos novit) participes eſſe myſteriorum cupiant, non conſeqvuntur id, anteqvam à ſuis Paſtoribus fidei vitæq; ſuæ teſtimonium proferant; aut alicujus è cœtu cui noti ſint, elogio ornentur. 9. Panis eſt illis orbiculatus, triticeus, & infermentatus, qvalis nunc Latinis & Lutheranis, olim & Græcis, fuit. 10. Sic enim Epiphanius, in Ancorato: *Hoc eſt rotundæ formæ, & ſenſûs expers, quantum ad potentiam.* Loqvitur autem de pane Euchariſtico, ob ſubtilitatem ſenſu carente: qvi tamen creditur Dei gratiâ Corpus Chriſti eſſe, vimq; ejus credenti adferre. 11. Ac talis eſt hodie Ruſſis: niſi qvòd multò denſior, è cujus medulla futura Euchariſtia exſcinditur, ac Vino injecta,

jecta, cochleari è Calice hauritur, sed Fratribus est crassior, solidiorq; : nam Christus bucceas fractas suis dabat. 12. Qvum autem Minister, togâ simplici indutus (nam cœteras illas Sacerdotum omittunt vestes, qvæ sunt Papæ Stephani primi inventum) illa Testamenti verba, *Accepit & fregit*, clarâ voce recitat, accipit ipse qvoq; Panem, & frangit: sicut & Calicem, ad mentionẽ horum verborum, *Similiter etiam Poculum accipiens*, in manus idem sumit: qvod benedictionis loco est. 13. Sessionem Christo convivatori suo, Cœli terræq; Domino, relinqvunt: neq; necessitatis esse credunt, ut qvô gestu & tempore Apostoli hâc sacrâ Cænâ (præsente adhuc in humili carne Domino) usi sunt, eodem necessariò utamur, tantiq; momenti sacra obeamus, omnes. 14. Agnoscunt illi humili fide, præsentem ac nobis promissa repræsentantem Christum, par esse ut qvàm humillimâ veneratione, colamus: qvaliter in cœtibus piorum semper fuisse cultum, ex ipsa antiqvitate constat: *Sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit*, dicit Ambrosius, super 1. Cor. cap. 11. 15. Sed & ipsis mysterijs talibus & tantis, omnium Orthodoxorum Confessione aliqvis debetur honor: qvandoqvidem oblatum etiam à Rege qvopiam terreno donum, reverenter accipimus: Unde nõ raræ antiqvorũ ad venerationem Sacramenti adhorta-

hortationes. 16. *Cùm reverendum Altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui Corpus, & Sangvinem, fide respice, honora, mirare, mente continge, & maximè totum, haustu interioris hominis, assume* (inqvit Eusebius Emyssenus, distinct. 2. de consecrat.) 17. Ambrosius verò: *Eucharistia Medicina est Spiritualis, qvæ cum reverentia degustata, purificat sibi devotum* (ibidem) Et Epistolâ 28. lib. 5. ad Theodosium Imperatorem: *Qvomodo VENERANDUM sangvinem Domini ori admovebis?* 18. Qvæ considerantes Ecclesiæ nostrates, in Polonia, & Litvania (*Fratrum, Augustanæ & Helveticæ Confessionis*) ita hac de re (Cracoviæ in Synodo Generali, Anno 1573. 29. Septembris) sanxerunt: *De Ceremonijs, præsertim in Usu Cœnæ Domini, motâ qvæstione, an eæ in omnibus Ecclesijs nostris uniformes esse possent? conclusum est, ut secundùm morem primitivæ Ecclesiæ, libertati Ecclesiæ inter nos Ceremoniæ permittantur; monitis tamen Fratribus, si qvi sessione in sacra Cœna uti cæperunt, ut eam ceremoniam Arianabaptistis propriam relinqvant.* 19. Sic & in Petricoviensi (1578. primis Junij diebus) *Sessionis ad Mensam Domini, qvæ præter ritus in omnibus per Europam Evangelicis Ecclesijs vulgò consvetos, illi inter nos primi Authores extiterunt, qvi omnia temerè in Ecclesia immutantes, & sine scientia Christum qvasi imitantes, à nobis ad Arianismum perfidi transfuga fa-*

ga facti sunt: qvare hanc propriam ipsis (ut Christum, ita & sacra ejus, irreverenter tractantibus) & tanqvam minùs honestam ac religiosum, simplicioribusq́; admodũ scandalosam Ceremoniam, reijcimus. 20. Ita & in Wladislaviensi (19 Junij, 1583.): *Ne sit in usu Sessio ad mensam Domini, in ullis hujus nostri consensûs Ecclesijs, Poloniæ, Litvaniæ, & cæteris. Nam hæc Ceremonia (licet cum cæteris libera) Ecclesijs Christianis, & cœtibus Evangelicis, non est usitata: tantumq́; infidelibus Arianis, cum Domino pari solio sese collocantibus, propria.* Ita Synodi. 21. Ubi jam ad rem ipsam venitur, populus in duos ordines ante Mensam mysticam distributus, sancta ore accipit à Ministro porrigente: qvod alij manu, ore minimè impuriore, faciunt. 22. Priori modo jam olim, ut ait Prosper in Latina Ecclesia Sacramentum sumebatur (Decret. 2. parte, de Consec. distin. 2. Cap. 36.) *Cùm frangitur hostia* (inqvit) *cùm sangvis de Calice in ora fidelium funditur: qvid aliud qvàm Dominici Corporis in cruce immolatio; ejusq́; sangvinis de latere effusio, designatur?* 23. Accipientibus autem alijs, canunt hymnos alij, donec accedant & ipsi, sacrumq́; cibum & potum assumant, genibus humi positis, oculis autem & animis in altum sublatis. 24. Ubi, ne qvis adeò demissum cultum non Deo, sed Sacramento, exhiberi existimet, præit verba Administer, Corda procubiturorum sursum

sum ad Deum elevatis hujusmodi dictis: *Charissimi Vescentes hoc svavissimo cibo, á Christo nobis corroborandi interioris hominis gratiâ præparato procumbamus; non ante Sacramentum, qvod faciunt idololatræ, sed Patrem, Filium, ac Spiritum S. unicum Deum nostrum veneraturi: gratias ei pro beneficijs, corpore & sangvine filij ejus nobis acqvisitis, acturi, &c.* 25. Testati enim & professi sunt jam ab initio Fratres (ut suprà libro III. docuimus, in Anno 1507.) se non Sacramentalem Corporis Christi præsentiam in terris, sed ipsummet Christum, naturali personaliq́; substantiâ in Cœlis constitutum, colere ac venerari; qvippe qvod illud, neq́; ipse Christus faciendum præceperit, neq́; Apostoli mensæ ejus accumbentes, neq́; primi illi Christiani, Panem Cœnæ Domini in ædibus privatis frangere soliti, fecerint. 26. Qva de re pluribus disputârunt cum Luthero, ipsis hac in re nonnihil adverso: uti recitavimus suprà, libro IV. Anno 1523. 27. Porrò si qvid Panis sacrati superfuerit, id vel Minister ipse ibidem absumit, vel pro futura Synaxi diligenter reservat. 28. Absoluto autem sacro convivio totius populi, grates aguntur Deo pro præsentibus beneficijs; idq́; Christi exemplo, qvi Cœnâ illâ peractâ, hymnũ cum suis Deo cecinit. 29. Oraturq́; simul Deus, ut mysteriorum participibus det vitæ renovationis incrementum, in tentationibus usq́; ad finem perse-

perseverantiam; ac ut Ecclesiam suam ab Antichristianis erroribus liberet, Spiritu suo in veritatis cognitione regat, veros Pastores ejusdem spiritûs donis impleat, & ad ritè exseqvenda officia excitet; populum verò suum in veritate fidei, spei, charitatis, conservet; lapsos erigat; pœnitentium misereatur; mœstos consoletur; vinctis propter veritatem, opituletur; ægrotis medeatur; Magistratus Christianos gubernet, ac regendi subjectos rationem edoceat; hostium Ecclesiæ animos mitiget ac immutet; atq; omnibus suis pacem det. 30. Ad ultimum admonentur omnes promiscuè ad recolendã, gratisq; animis accipiendam, hanc divinam beneficentiam: cui benefactis ut respondeant, peccata sũmoperè fugiant, in eleemosyna pauperibus eroganda liberales se præbeant. 31. Tandem cœtus solvitur post illam faustam benedictionis, ore Ministri, verbis Aaronicis denunciationem, qvæ legitur Numerorum 6. v. 24. 25. 26. *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui! Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem!* 32. Hæc de Sacra Synaxi atq: ritibus Cœnæ Dominicæ. 33. In Baptismatis qvoq; administratione eadem est puritas, absq; cereis, unctionibus, sale, exorcismis, & similibus, qvæ humana excogitavit, seu superstitio seu curiositas, simplici divino instituto haud contenta.

tenta. 34. Qvæ licet pro antiqvis in Ecclesia ceremonijs venditentur, talia tamen Apostolis tribuere, religio est Fratribus; haud ignaris, nihil eos istius modi in baptizandis gentibus adhibuisse, simplici Aqvâ (descensu tunc super eam Spiritûs S. consecratâ) acqvievisse. 35. Præter hæc duo Sacramenta plura non agnoscunt Fratres: illa tantum remissionis peccatorum, suæq; cum fidelibus conjunctionis, sigilla reliqvisse, credunt. 36. Nec verò antiqvis Christianis plura his duobus, fuerunt vera Sacramenta: testantibus id Tertulliano (lib. 4. adversùs Marcionem) Chrysostomo (homiliâ ad Neophytos) Augustino (ad Januarium Epist. 118. & de doctrina Christiana libro 3. cap. 9.): *qui omnes, pluresq; alij, Baptismum tantùm & Eucharistiam nominant.* 37. Nec plura è Corpore Christi in Cruce pendentis effluxerunt: totque typi horum in antiqvo fœdere fuerunt, nempè *Agnus* ille *Paschalis*, & *Circumcisio*; *Manna* item & *Aqva*, Israelitas in deserto seqvuta. 38 Absolutionem verò ad Claves, seu dispensationem fidelium Christi Ministrorum, referunt; sine qva hi sunt similes Magistratui, absq; jurisdictione; & Avibus, alis ad volandum destitutis.

Caput XXXIII.

Libri totius Conclusio.

Hactenus

HActenus de Fratrum Bohemicorum Origine, institutis, Fide, Moribus & matre omnis boni, Disciplina: quâ nulla certè alia afferri potest commodior medicina, ad sanandos Ecclesiarum luxuriâ, licentiâ, & lasciviâ diffluentium, (ut nunc sunt tempora) morbis. 2. Nimis longum foret cuncta, imitatione dignissima, stylo persequi: præcipua attigisse sufficiat, ac plura scribant alij: qvique possunt Fratres adeant, quô singula cognoscant. 3. Ad hoc, ejus sunt ingenij Fratres, ut nihil de se quod ipsis laudi sit, & gloriam adferat, scribere & publicare soleant: imò vix aliquid scribi, dicíve, à quoquã patiantur, quia omnem laudem à se removentes, soli DEO integram tribuunt. 4. Qvi quidem sicut origini eorum, in densis Papisticis tenebris adfuit: ita in hac Evangelij luce adest propitius progressui; odiô juxta & invidiâ adversarijs ipsorũ tabescentibus: nimirum quòd Deus semper soleat ea, quæ esse aliquando voluit, ne intercidant custodire: quæ verò exorta intereunt, ista dormientibus hominibus, satore satanâ, apparuerant. 5. Ego verò non Ministrorum solùm, sed totius Unitatis Fratrum mores cœteraq;, pro mea virili descripsi, omnia judicio Ecclesiæ subijciens. 6. Qua in Ecclesia si qvi ignaviores, remissioresq;, inveniantur: id accidit præter culpam Pastorum, Sponsam suam JESU CHRISTO brevi redituro, omnis macu-

maculæ expertem, dies & noctes sistere studentium: Sed vel istius ultimi temporis, quô regnatura erat impietas, ac refrixura vera charitas, maligno quodam fato: vel naturâ hominum, ad ingenium semper redeuntium, qualis etiam Apostolorum seculo fuisse, ex epistolis Pauli, Jacobi, Petri, Judæ, Joannis, discimus. 7. Ita homines nunquam non sui similes sunt: perpauci mediocriter boni, nulli perfecti, omnes infirmi, fragiles, imbecilles. 8. Persvasus autem sum, inimicos Fratrum, lectis placido animo hisce meis, amiciores illis, placabilioresq;, futuros; amicos verò multò magis eos, ob tot virtutes, chariores habituros esse. 9. Quod si quis hosce bonâ fide à me scriptis non credit, is illud ex Evangelio responsum habeat, *Veni & vide* (Joh. 1. 39) sensu enim oculorum nullus alius est fidelior. 10. Fratres autem ipsos, mihi admodum charos, oratos velim, ut omnia in meliorem partem accipiant: & quæ his desunt (nihil enim in rebus humanis perfecti est) ipsimet suppleant: quæq; non benè fortassis percepta & observata à me sunt, ea meliùs explicent, & posteris tradant. 11. Ego meo proposito, adjutore Christo, satisfecisse mihi videor, minùs opinor alijs; sin, ut est verisimile, alicubi peccavi & hallucinatus sum, supplex à Deo peto veniam, qui si confitemur (inquit divus Johannes) peccata nostra, fidelis est & justus,

justus, ut ea nobis remittat, & purget nos ab omni iniquitate. 12. *Tu verò veni ad nos clementissime JESU! Veni citò tam diu expectate Redemptor! Veni ad servos tuos, ab injuria vindicandos, Domine: ac ut nostram imperfectionem tuâ absolutissimâ justitiâ, quam moriens nobiscum communicasti, reapse perficias, spem expleas, charitatem augeas, fidem promissionum tuarum nobis datam liberes, & ejectos Paradiso terrestri in hanc miseriarum vallem miseros prævaricatores in cœlestem deducas, Amen, Amen,*

AMEN.

APPENDIX
Continens præcedentium VII LIBRORUM LASICII generalia argumenta, *particulariaq; nonnulla excerpta.*

Vix dubitare licet, fore qui mirentur, si non indignentur, pro tam desiderato Opere Operis partem foras dari. Sed ita ferunt res præsentes, alijsq; nunc mundum rebus occupantia calamitôsa tempora. Sufficiat ea dedisse, quæ præsentaneum ferant usum: stimulorum aliqvid in animos spargendo nostros ad resipiscentiam, si quorum antiqvorum sanctorum progenies sumus, & qvàm justè Christus ob intermissam charitatem primam commotus, candelabra nostra suis moverit locis recordati, de redeundo ad opera prima serias suscipere incipiamus cogitationes. Ut ne tamen molestum relinqvamus desiderij hiatum, subjungamus interim vel argumenta præcedentium septé Librorum: *unà cum particularibus qvibusdam excerptis,*

rerum

verum ab intentione præsenti non abludentium. *Nempe* qvædam magnorum Virorum, de Rebus olim apud nos laudabiliter constitutis, Testimonia; *qvæ alibi non leguntur, aut certè non simul. Non ut nobis laudibus sinere, si hanc amisimus, placere libeat: sed ut de amissa gloria filiæ Regis abintus justo impleamur pudore, & dolore. Nisi enim nos posteri majorum fuerimus similes, laudes illæ non nostræ erunt, sed illorum quorum sunt: ad nos inde, præter debitum ab origine sua degenerantibus dedecus, redibit nihil.*

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

DIfferentia inter Fratres & Valdenses. Viclevi Hussique ortus & obitus. Tumultus Pragenses. De Concilio Constantiensi Anno 1415. Occisi propter Veritatis confessionem plurimi. Res gestæ, mors, & epitaphium Johannis Ziscæ. Successores ejus in bellis gerendis. Poloni, cum Lithvanis, Bohemis Hussianis auxiliantur. Qvi Calixtini sint, quiq; Taborienses olim fuerint. Quâ ratione Fratres exorti Anno 1450. Bohemorum de Calice Domini in Concilio Basiliensi disputatio. Incrementum Fratrum. Rokezana Episcopus Calixtinorum de Captivitate Ecclesiæ. Fratrum cum eo, ut & ipse Babylone exiret, multa colloquia. Blasphemia Sacerdotum de Christi in Missa creatione. Bohemi anathemate soluti, quos Græci ad suam Ecclesiam pellicere sunt conati. Fratres à Calixtinis avulsi, quibus hi facti sunt capitales inimici.

LIBER SECUNDUS.

LAdislao Regi, (annos 18 nato, & inopinanter exstincto) Georgius Pro-Rex sufficitur, gravis suis, sed maximè Fratribus. Vexatur à Pontificibus Rom. Fratrum molestiæ de indignis ad mensam Dom. admittendis. Anno 1461 maxima illorum mala, Exilium & Carceres. Consilium de creandis novis Ministris. Martini Lupacij dicta. Novus ordo Seniorum instituitur. Testimonia & exempla Sanctæ Scripturæ Dei cum hominibus locuti. Consilium Fratrum de cognoscendis Ecclesijs Orientalibus. Testes corruptissimi Orbis Chtistiani. Novi Ministri Ec-

clesiæ sorte creantur, Anno 1467. In Papatu sunt qvædam bona. Epistola Fratrum ad Roketzanam. Qvædam de Valdensibus Picardorum Gallorum descripto. Ordo novus multa adversa creat Fratribus. Doctrina Papistica describitur. Infesti Fratribus moriuntur.

LIBRI TERTII.

GEorgio Regi successit Wladislaus Polonus, qvi Fratres exterminere studuit. Hi certos è suorum numero mittunt cognitum Religionem & mores exterarum Nationum. Digressio ad res Turcicas, nobis qvoq; formidabiles. Idololatria Græcorum Latinorumq́; in cultu Mariæ. De Mathia Hungarorum Rege, qvi Fratres ex Moravia expulit in Moldaviam. Sententia Fratrum de alijs illo tempore Ecclesijs. Romæ descriptio. Archiducum Austriæ genus. Baptismi repetitio. De Habrowanitis. Rex Wladislaus adversus Fratres inflammatur: hi confessionem fidei suæ de Sacramentis edunt, ad Regem scribunt: cujus edictum non est ad effectum perductum. Erasmi Roterodami censura de Fratribus.

LIBRI QVARTI.

DE Luteri Jesuitarumq́; ortu. Originis Fratrum ex Prelaucio brevis repetitio. Scriptum eorum ad Luterum de Verbis Cœnæ Domini, ac rebus alijs. Error Campani Belgæ refellitur, negantis fuisse ante Luterum Evangelium. Enumeratio plagarum DEI, quibus mortales afflixit ab Anno 1524, usq; ab 1527. De Cyrillo & Methodio, qvi primi Anno Domini 895 in Bohemiam & Moraviam Christianisimum induxerunt. Lucæ Prageni Fratrum Episcopi dicta, & Testamentum. Fratrum Confessio Fidei, Tiguri & Vitebergæ edita, 1533. Fratrum cum Lutero conjunctio, & Ferdinando Regi oblata Confessio. Luteri de illa censura. Pauca quædam de Valdensibus. Causa defectionis Fratrum à Papatu. Luterus, Bucerus, alijq́;, laudant & commendant Fratres. Fides Calixtinorum.

LIBRI QVINTI.

CAusa Belli exorti in Germania 1546. Turbæ Bohemicæ, ac effectus illarum. Fratres Regi suo Ferdinando in cassum supplicant. Forma ipsis proposita ejurandi Religionem. Quidam illorum capiuntur. Proscripti à Ferdinan-

do Rege conferunt se in Poloniam; ex hac eijciuntur in Prussiam. Literæ doctorum virorum ex Helvetia ad Polonos. Fratrum unus disputat Thoronij cum Papista, de successione Sacerdotũ. Sperati Episcopi Augustanæ Confessionis de Fratribus testimonium. Quâ ratione in majori Polonia sparserunt purum Evangelium. Conjunctio Polonorum cum Fratribus Bohemis, Anno 1555. Calvini Epistola, & Musculi, de Fratribus. De Stancaro Italo reformatore Ecclesiarum. Descriptio instaurati Regni DEI in minori Polonia, cujus est caput Cracovia. Hæreses ibidem exortæ.

LIBRI SEXTI.

DE Johanne Funccio historico, hæresique Osiandriana. Fratrum hîc salutare consilium. Conatus Papistarum de movendis Fratribus Posnaniâ. De Fratrum consilijs, Polonis datis; eorundemq; crebris ad Polonos itineribus. De Johanne à Lasco qvædam Fratrum instituta taxante. De itinere qvorundam Procerum, Anno 1557, ad Fratres in Moraviam suscepto. De Vergerio Fratrum laudatore. De Polonis reprehensis à Fratribus: & qvæstionibus qvibusdam ab eis solutis. Sententia Fratrum de Cœna Domini. Caroli Imperatoris obitus. Illyricus captans Fratrum societatem repellitur.

LIBRI SEPTIMI.

FRatres Legatos mittunt in Germaniã, & ad Ecclesias Helveticas. Synodus Polonorum in *Xians* oppido; & Fratrum Posnaniæ. Statuta in illis. Colloqvium unius è Fratribus Thorunij cum Luterianis. Numerus Cleri Fratrum uno Anno creati. De Concilio Tridentino. Mors Ferdinandi Imper. Edictum Regis Poloniæ contra Ebionæos, seu Antitrinitarios. Crudelitas Antichristi. In qvibus rebus consistat instauratio Ecclesiæ. Fratres respondent calumniatori, suam Religionem defendentes. Ministri Helveticæ confessionis in Cujavia Fratribus consociati. Fratrum inimici miserè pereunt. Duo luxuriosi Proceres à Fratribus Ecclesiâ eijciuntur. Lasicij testimonium de Fratribus. Vitebergenses sententiam ferunt pro Fratribus. Chytreus de ijsdem. Consensus Fratrum cum Caluinianis & Luterianis. Cur se Fratres subducunt à Calixtinis. Vitebergensium & Bezæ sententia de Fratribus: horum literæ ad maledicum Kirmezerum. Quô differant Fratres à cæteris Evangelicis. Synodus Fratrum & aliorum. Appendix continens defensionem Fratrum contra *Illyricum*, *Kirmeserum*, *Hedericum*, & *Morgensternium*.

PARTICULARIA EXCERPTA.

I Ex epistola dedicatoria, ad Illustrem Baronem D. CAROLUM à ZEROTIN &c.

LAudare si cui videbor Fratres, non diffiteor id: sed laudo ideò, quòd idem fecerint viri celeberrimi, Lutherus, Melanthon, Bucerus, Calvinus, Musculus, Vergerius, Camerarius, Esromus, Eberus, Chytręus, multiq; alij; quodq; meo judicio ejusmodi sunt Christiani, si quis eos benè nôrit, quales esse deberent omnes, qvi sibi & Catholicorum, & Orthodoxorum, arrogant cognomen. Cum certè non sufficiat, Catholicum vel Orthodoxũ dici, aut fidem solo ore profiteri, nisi simul ornatus sis ijs virtutibus, quæ in ultimo illo examine suã ferent laudem. At si de bonis secùs scripsissem (quod fecêre haud pauci) tum verò mendax, ac divinæ illi execrationi subjectus eßem, Væ dicentibus, malum bonum; & bonum, malum: Esa. 5. Porrò mendacij quod præmium? Timidis, ait, non credentibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus pars est in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda: Apocalypsis Cap. 21. Quid? cùm nobis res quæpiam præclara describenda venit, num eam falsè laudamus, cùm qualis in se est narramus? Laudavit Apostolus Corinthios, laudavit Romanos, at in quibusdam minimè: idem agente Christo Apoc: 1. Similiter ego qvoq;. Laudo qvidem Fratres: attamen illis quædam deesse fateor. Ne hi soli extra sortem hominum, multis infirmitatibus, & ut olim Apostoli, Satanæ tentationibus subjectorum, positi esse videantur. Cùm primum mense Aprili Anno 1567, cognitis hisce Fratribus, specimen quoddam futuræ hujus historiæ ad Theodorũ Bezam magnum hoc seculo Theologum, censuræ gratia Heydelbergâ Genevam misissem: ita id ille licet rude fuerit opusculum, accepit, atq; legit libenter, ut etiam voluerit, si ego ãnuissem, præfatione ex animi mei sentẽtia adjectâ, quâ melius me oratione suâ excoluisset Fratres, edere in publicũ. Quod igitur tunc propter exiguitatẽ scripti factũ non est, Domino me ad meliora servãte nunc, si Vobis idẽ quòd Illi placuerit, per me licet; imò verò opto ut fiat. Nam, ut sunt cogitationes posteriores (dicunt Græci) prioribus meliores: ita & hæc prima illa scriptione sunt perfectiora, id est plus continent rerum, inq; suos Libros disposita sunt atq; divisa. Vale. Zaslavi Litvanorum 12 die Januarij Anno Christi 1599 Ætatis meæ 65.

JOHANNES LASICIUS POLONUS.

---CUm Taboriensium alij excisi, alij ob amissos duces dispalati, Calixtini verò Pontificij propemodum facti essent: cùm Veritas, ab Husso in lucem prolata, trium sectarum altercationibus obruitur, Ecclesia verò Romana deleto potissimorum adversariorũ (Taboriensium) nomine, ante victoriam triumphum canit; ecce tibi alij (Anno Domini 1450 circiter) potissimùm Pragæ, & mox passim per Bohemiam, mutuis colloqvijs & consultationibus, à Spiritu sancto exciti, qvasi in excisa sylva qvidam surculi exorti, crescere cœperunt, & postea à Calixtinis bellacibus, & discipulis Hussi inconstantibus, avulsi, peculiarem Cœtum instituerunt. Hi sunt *Fratres*, de qvibus nobis sermo institutus est, veri Hussi discipuli, nec pugnam spirantes, nec pacem mundi & bona huius seculi captantes, de sola animarum salute solliciti. Qui dum Calixtini antiqvæ Ecclesiæ Doctrinam, *Pietatem*, Disciplinam, *Puritatem*, qvam verbis laudabant, per omnia seqvi reipsa nollent, è seipsis peculiarem, qvæ antiqvam illam in omnibus referret Ecclesiam, constiterunt sectam. Sed res hæc illis magnò stetit, &c. &c. Et pòst: Qvod qvidem futurum prædixerant, Matthias *Parisiensis*, Canonicus *Pragensis*, divinandi dono præditus; ipseq; Hussus, atq; Rokezana. Matthiæ hæc sunt verba in libro *de Abominatione*, sive *Antichristo*, Hussi nomine edito, Cap. 37. *Surget novus Populus, secundùm novum hominem formatus, qvi secundum Deum creatus est: ex qvo novi Clerici & sacerdotes prodibunt, & assumentur: qui omnes oderint avaritiam, & gloriam hujus vitæ, ad conversationem cœlestem festinando. Hæc autem puto successivè actum iri, & intemporibus à Deo dispensatis, qui hoc faciet propter suam bonitatem & misericordiam, divitiasq; longaminitatis suæ & patientiæ, dans locum pœnitentiæ peccatoribus inveteratis, fugiendiq; à facie furoris Domini: donec similiter patiantur, & successivè populus carnalis, & Sacerdotes, & Clerici defluent, & qvasi à tinea consumentur.* Hussus verò qvâdam Epistolâ, è Carcere Constantiensi ad Bohemos missa: *Utinam mihi mandare literis omnes Antichristi abominationes liceret, ut hæ à fidelibus observari & caveri possint! Verùm confido in Domino, quòd me vitâ hâc functo Vobis sit Pastores suscitaturus, qvi ejus ope Ecclesiæ munia, meintegriùs & fœlicius obibunt, qviq; omnes filij illius perditionis impusturas, scelera, errores, dolos, hypocrysin, superbiam, & fœditatem, pleniùs in lucẽ proferent; quos nulla præmia, nullæ minæ, à veritate abducere poterunt, quin pro ea semper omni ignominiâ & morte contemptâ, parati erunt ferre testimonium.* Rokeczanæ quoq;, Calixtinorum Archiepi-

episcopi, postquam se à Fratribus sæpe consuli videret, ista fuêre Verba: *Secuturum esse fœlicius seculum, quô ea quæ in Ecclesia contaminata sunt, pristino nitori restituentur, inveterata renovabantur, Fides, Sacramenta, Ministeriumq; Ecclesiasticum, repurgabuntur. In Ecclesia Babylonem deportata nihil ritè geri: sed tempus jam instare ejus è captivitate liberandæ. Tum verò demum fundamenta ejus in ipsis sacris Scripturis jacientur, quemadmodum Templum Isräelitarum à Babylonis dirutum, in ruinis prioris instauratum fuit*, &c. Idem ad populum Pragensem publicè, de universali omnium in Ecclesia corruptione, sæpe multumq; questus, addebat: *Nos, quibus subutraque cognomen est, nondum fundamentum rei ipsius attigimus, in exterioribus tantùm versamur, indices tantummodò vitiorum sumus, nec aliud, quam quid sit exhoc agro, tot noxijs herbis, imò feris, scatente, evellendum monstramus. Verùm successurus est nobis Populus, qvi usq; ad ipsa fundamenta penetrabit, actumq; paulatim radicibus, firmus stabit, gratum Deo, utileq; hominibus, aggressurus opus.* Intelligebat verò Fratres, tunc jam Reformationem meditantes, quos ex mutuis colloquijs penitiora Religionis tentaturos olfaciebat: subinde Auditoribus inculcans, *Tria esse in quibus omne refloreſcentis Ecclesiæ negotiū versatur:* Sacrascriptura, Christi Apostolorūq; exempla, & primitivæ Eccle-

Ecclesiæ vestigia: *his omnes salutis studiosos niti debere, hæc necessariò ab omnibus observari oportere.* His ille præceptis suis *Aureorum Canonū* cognomen dederat, ipse *Coti ferrum acuenti, nunquam tamen secanti*, persimilis, &c.

III.
E LIBRO SECUNDO:

De erigendo novo Ministerio Consultationes.

SOlicitis de Animarum pastoribus (unde hos accepturi essent, si decederent aliquot illi, quos habebant, pij) Fratribus, consilium dabat Lupacius, & alij docti pijq;, Fratrum incœpto benè faventes, Viri: ut omissis Sacrificulis, quos captivitas Babylonica nihil ritè exequi, insita malitia nihil boni agere sineret, ipsimet, priscâ Ecclesiæ consvetudine, è suo corpore Ministros Evangelij sibi optarent: & sic ad ipsam originem reversi, sua omnia ad formam Oraculorum divinorum revocarent, cultûsq; divini, miserum inmodum deformati, fundamenta in solis Sacris scriptis collocarent. Nî hoc facerent, facilè perituros omninò, nec diutiùs Taboriensibus duraturos esse; qvi bellis intenti, nullo ordine sua gesserūt, opinati satis esse armis Regnum Christi quærere. *Omnem siquidem cœtū tam diu durare solere, quam diu*

diu capita ductoresq; haberet. Evangelicam veritatem, nullo alio modo meliùs, quàm Ordine ac rectâ Ecclesiæ gubernatione propagari. Etsi me non fugit (addebat Lupacius) ubi hoc feceretis, grave vos odium Ecclesiæ Romanæ incursuros esse; orietur brevi propter Sermonem Dei insectatio, calamitas, oppressio: tumq; illud verè dictum esse à Terruliano (Cap. 7. Apologetici) experiemini, *Cum odio sui cœpit Veritas, simul atq; apparuit inimica esse.* Si Christum verè seqvi volueritis, animos vestros ad Crucem quotidie ferendâ præparatote: si Deo servire instituistis, ad sufferendas varias tentationes instructi estote. Faxit autem Deus, ut ego quoque hunc vestrum Ordinem brevi videam. Respondentibus Fratribus; *Vereri se, ne novo administrandæ Ecclesiæ modo instituto, Deum offenderent:* eos bono esse animo jubebat. Non enim quamvis defectionem Deo displicere: quin gratum eidem futurum, quicquid vitiatâ tantoperè Ecclesiâ displiceat Papæ. Laudem mereri conatus voluntati divinæ morigerorum: pergerent igitur Sacrosanctum fœdus divinum, quod alij violassent, renovare, causamq; Veritatis in fractis animis tueri, Babylone magis magisq; egredi, & lutum illius planè conculcare. Meminissentq; Hussi, de Ecclesia scribentis, verborum; *Posse meliùs regi Ecclesiam à sanctis Sacerdotibus, quàm à Papa & Cardinalibus, prout recta fuerat trecentis ampliùs post Christum annis.* Perpenderent verba Ignatij Martyris, Petri Apostoli in Ecclesia Antiochena successoris; *Sectatorem illius, qvi se à Veritate abscidisset, non esse futurum Regni Dei hæredem; similiter & illum pœnas in gehenna esse daturum, qvi à mendaci non abscederet Concionatore.* Item illa beati Cypriani Epist. 4: *Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione delicti esse posset, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad injustum atq; illicitum præpositi sui Episcopatum, consensum suum commodans: cùm per Oseam comminetur, dicatq;, censura Divina; Sacrificia eorum esse tanquam panem luctûs, omnes ea manducantes contaminari. Ideoq; plebem præceptis Dominicis obsequentem, & Deum timentem, se à peccatore Præposito separare, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere debere; cùm ipsa haberet potestatem, vel eligendi (NB) dignos sacerdotes, vel recusandi indignos.* Dicebantur Fratribus ab ijsdem consultoribus etiam ista: *Jam illa rursus instare à Prophetis prænunciata tempora, ut DEUS Oves suas ex faucibus malorum Pastorum ereptas, melioribus pascendas committat; ex ingenti Israelitarum numero per paucos sibi segreget, reliqvias tantùm servet, singulos è singulis Civitatibus, binosq; è singulis Nationibus seligat, & Captivitatis Babylonicæ in patria ipsorum jam tandem finem faciat.* Et Lupacius quidem cum alijs hæc, aliaque ejusmodi,

modi, consilia Fratribus dabat: hi verò quantæ ipsis è re ea orituræ essent difficultates, animis suis providentes, persvasi Pontificios, ipsosq; Calixtinos, veteres Ritus nequaquã innovari passuros, nec innovatos toleraturos, ac licet necessariam defectionem, crimini tamen esse daturos, vehementer angi, adhibitisq; jejunijs Deum ardenter precari, ut quid facto opus foret ignaros doceret, redactosq; in tantas angustias vi suâ expediret. Tandem post longas hæsitationes, ad perseverandum in re bona necessariaq; animis divinitus corroborati, convenerunt ex ordine Sacerdotum, Nobilium, Literatorum, Civium, & Ruricolarum, selectissimi Viri 70, in pagum Lhota (quæ vox Bohemis *manumissionem*, atq; ex servitute liberationem significat) prope Oppidum Richnow: ubi precibus sacris dediti, ac illis Christi persvasi promissis, *Quicquid petieritis duo trésve in nomine meo coacti, dabitur vobis.* Item illis; *Si manseritis in me, verbaq; mea manserint in vobis, qvicqvid volueritis petite, ac fiet vobis*; rogant supplices Cœlestem Patrem, essétne ipsius voluntas, ut se jam planè à Babylone spirituali, quam ipso revelante cognovissent, subducerent; Sodomâ excederent; tot vitiorum errorumq; viâ desertâ, Mores suos reformarent; Disciplinam veterem revocarent; puriorem DEI Cultum, ab hoste illius mirificè contaminatum, ipsi pro se in inte-

integrum reducerent; & novum Ministerij Sancti, soli Christo addicti, Ordinem inter se constituerent, ut jam tandem ostenderet. Usi sunt inprecando hisqvoq; Davidis verbis; *Domine bone, mitis, & invocantibus valdè clemens, audi preces nostras, die angustiæ nostræ invocamus te, quia exaudis; doce nos viam tuam, ut in veritate tua ambulemus.* Quòd deinde factum: exaudit enim simplices misericors ille, & in promissis suis verax Pater &c, &c.

IV.

De Fratrum circa novam Ministrorum ordinationem scrupulis, tentatisq; alijs vijs.

FRatres actis DEO pro eo beneficio gratijs, sua in sententia, *soli fundamento Sacræ scripturæ, in qua DEUS suam revelat voluntatem, esse nitendum*, confirmantur. Postmodum eligunt tres viros, qvi ad tempus primarij essent, alios regerent, & sponte suâ obedientes officij commonerent; quorum præcipuus fuit Gregorius ille, de quo supra, rerum divinarum scientiâ, vitâque sanctiore, clarissimus: reliqui duo Procopius & Joh. Clenovius. Interim sciscitantur qvàm diligentissimè, *an uspiam terrarum priscæ Ecclesiæ forent*

rent ejusmodi reliquiæ, quas fermentū Papisticū non corrupisset, qvæq; ipsis factis suam in Christum fidem, & veterum Christianorum sanctimoniam, declararent: cum quibus studebant se animis conjungere, & veros ab eis Pastores Ecclesiæ petere, modò ne ad novos creandos inviti descenderent. Accigentibus se ad iter Orientale quibusdam, cognoscunt reperiri quidem illîc Christianos, at non tales, quales videre averent, & à quibus ea quæ vellent perciperent. Luxatam ibi quoq; esse Disciplinam Christianam, depravatam longo ævo, multisque obrutam Ceremonijs, etiam Mosaicâ circumcisione, Religionem. Qui benè præsint, quiq; imperantibus auscultent, raros admodum esse. Idem illis interrogati responderunt illi, qvi Græciam, Valachiam, Russiam, & in hac Armenios Regis Poloniæ subjectos, viderant. Nempe gentes has suis Episcopis contentas, à Patriarcha Romano non pendere quidem: nihilominus tamen, quæ natura hominum est, molliter vivere, Deum superstitiosè colere, Sacerdotes vitâ populo similes, spiritu mundi agi. Walachos atq; Moldavos planè corruptos esse, Græcos more antiquo pergræcari, & Turcicâ tyrannide fractos, divina langvidè curare. Russos autem, eorundem Morum ac Religionis, quosvis venientes, absq; omni trutina, tâm morum quàm doctrinæ, acceptâ à Candidatis pecuniâ, ad sacrum Ordinem admittere; Nunquam concionari; sed quotidianâ liturgiâ, satis oscitanter murmuratâ, omne Religionis pensum absolvere. His ita auditis Fratres, constitutam in longinqvas nationes peregrinationem, in aliud tempus reijciunt: omissisq; exteris, ad se ipsos convertuntur, experturi, an qvod foris quæsituri erant, domi consequi ope divinâ possent.

V.

De nova tandem (post decennales deliberationes) Ministrorum Ordinatione suscepta.

POstquam illi tres Fratrum Seniores Ecclesiam aliquandiu administrassent, & Ministerij Ordo à Christo institutus per quam utilis esse ipsis videretur, (jam enim non alius ferè Sacerdos præter Michaelem Zambergium, illum doctrinæ pietatisq; Hussi genuinum hæredem, supererat, alijs fato, alijs violentiâ hostium veritatis absumtis): Fratres, indictis Anno 1467 publicis jejunijs, precati sunt Deum omnes, ut de ijs quæ ipsi grata forent cogitantibus, benignum se præberet. Quibus peractis, convenerunt rursus eodem loci, ubi & antè, totidem aut paulò plures viri, reliquis in suis sedibus conatum illorum precibus divinis juvantibus. Ubi promisso CHristi

 (*Quicquid*

Quicquid orantes petieritis, credite vos accepturos) freti, seligunt inter se viginti viros, & integræ cõscientiæ, & legis divinæ scientiâ cæteris excellentiores; rursumq; ex horum numero (divino planè consilio) novem segregant, è quibus Deus Pater cœlestis sumeret, quos duces Ecclesiæ constitueret; reliquos verò undecim rei huic peragendæ designât. Destinatos illos novem sortitioni (quæ delectos â Deo ostenderet,) iterum Christo Ecclesiæ sponso commendant: ut si quos illorum muneri Ecclesiastico præfici vellet, eos ipsemet sanctivicaret, Spiritusque donis expleret. Parant inde duodecim convolutas chartulas, exquibus novem vacuis relictis, tribus inscribunt voluntatis divinæ indicem voculam, Est. His eo modo constitutis, rursus orant Deum, ut pro sua in Ecclesiam benevolentia, cujus redimendæ, ac in unum Fidej corpus cogendæ causa, unigenam, Spiritumq; suum sanctum in terram demisisset, & doctores ductoresq; semper illi dedisset, ex illis novem Viris unum, duos, tres ve simul, Ecclesiæ suæ rectores deligeret. Sin id nollet, ne faceret; (quod utiq; fieri potuit, si omnibus puræ chartulæ obvenissent.) Habuit ibidem Gregorius ad Cœtum ejusmodi oratiunculam: *Quando quidem, chari fratres, negotium hoc Deo commisimus, ut si velit aliquot ex his viris, ad munus legationis Filij sui in Ecclesia ritè obeundum, seligat, æqvum erit ut voluntate ac indicio ejus acqviescamus. Interea bono sitis animo; non fallet nos ille, qui se effecturum apud Patrem recepit, qvicqvid qvis ab eo firmâ fiduciâ potierit.* Post hæc adolescens schedulas è sitella aversis oculis eximẽs, dabat singulis Candidatis, in medio stantibus; hi verò eô ubi undecim alij consederant accedentes, suam singuli apud eos deponebant. Ubi rem mirandam! inventi sunt tres, quorum signatæ schedulæ fuerunt, *Mathias Convaldensis, Thomas Prelautius*, & *Elias Krenovius*. Atq; revera isti fuerunt, inter illos novem, omnium testimonio, tanto muneri aptissimi. Hi ergò visi sunt omnibus Deo placuisse, ut Ecclesiæ gubernationem susciperent, (sic enim diserte ille sapientissimus hominum Prov. 16: *In sinum conijcitur sors, sed à Domino est directio ejus.* Quod quidem ita esse, præter alios in Jonathamo filio Saulis, Jona Propheta, & Mathia novo Apostolo, apparuit.) Tum extemplo omnes, pro ducibus dono Deo declaratis gratias agere, sorti consentire, electis obedientiam, Christo autem per eos fidem, datis dexteris polliceri; eosdemq; orare, ut munus laboriosum, ad quod se divinitùs vocatos esse ipsimet cernerent, alacribus animis susciperent: his autem annuentibus, sibiq; divinis promissis certi spem auxilij facientibus, læti omnes carmine extempore composito, grates Deo concinunt: (cujus hoc

hoc est principium, *Gaudeamus omnes hodie, concelebremusq; Deum qui nobis hoc tempore excitat fideles Pastores &c*, quô cantico hodieq; Deum laudant, in suorum Ministrorum creatione &c.) Quod ad consecrationem, licet crederent, hanc à solo Deo, ad preces Ecclesiæ, per Christum proficisci, (*Ego me ipsum sanctifico pro eis*, inqvit Christus, *ut & ipsi sanctificentur in veritate*,) tamen pius ille Michael, Romani chrismatis Sacerdos, rogatus à Cœtu, sorte electis cum fausta precatione manus imponit, & sacri Ministerij munus, quod & ipse ab alijs acceperat, committit. Fecit idem postea Stephanus, Episcopus Valdensium, electosq; confirmavit: quin & Episcopalem potestatem, alios Pastores confirmandi, dedit. Quô facto Fratres ostendere voluerunt, nihil se boni damnare quodcunque esset, sive in Romana sive in alia qvacunque Ecclesia. Nihil nempe illis magis cordi est, quàm Ordo qvivis bonus, etiamsi humanæ institutionis: qualis est, ut Clerici nonnisi ab Episcopo ordinentur, &c, &c.

VI.

Fratres cupiunt jungi Valdensibus.

Placuit Fratribus Valdensium declarata in legatos ipsorum hospitalitas, in factis conspicua pietas, & tam diuturna ob Veritatis professionem adversorum tolerantia: usq; eò ut cogitare cæperint, quomodo utriq; in unam Ecclesiam planè coire possent. Verùm ne rem magni momenti imprudenter aggredenter, visum illis est omnia Valdensium tam dogmata, quam acta diligenter priùs explorare. Quô factô, animadvertunt doctrinam illorum, non minus quàm suam, ex ipsis divinorum oraculorum manasse fontibus: mores quoq;, paucis correctis, ipsi Evangelicæ professioni respondere. Missi igitur ad eos, qui dicerent, *Decrevisse Fratres cum ipsis ejusmodi societatem jungere, ut ex duobus unus in Christo populus coalesceret*, atq; coagmentaretur: quòd prius quàm fieret, petere se cum illis colloquium. Porrò quia exploratis eorũ rebus nonnulla emendanda observassent, quæ veris Christi imitatoribus indigna essent: velle se ista fraternè ipsis aperire, quæ pro sua pietate in meliorem partem acciperent. *Primùm* autem, id sibi displicere, quod ipsi periculorum metu clanculum tuerentur veritatem Evangelicam, quasi ignari lucem mundi tenebras illustrare, & salem terræ insulsa condire debere; lumen accensum in aperto esse ponendum, & os veri Catholici inconfitenda cœlesti doctrina respondere oportere cordi. Alterum, quòd licet à Pontificijs intantum dissentirent, ut Papam Romanum Antichristum es-

le, gregemq́, ipſius illam Ficum infructuoſam, quam Chriſtus execratus, exiſtimarent; tamen Fana illorum frequentarent, & ſacrorum participes fierent; dummodò ita quieti latere, & furorem Papalem evitare, poſſent: quâ ſimulatione unum cum illis corpus fieri, non laudanda laudando, adverſa voluntati divinæ præſentiâ ſuâ comprobando, fugiendaq; faciendo & c Hoc dici, *tepidum eſſe, utroq; pede claudicare, ſocietatem cum tenebris habere, jugum cum infidelibus trahere*, DEUM ſolo ſpiritu, Antichriſtum autem corpore, colere. *Poſtremum*, æquè damnandum eſſe, quòd ipſorum Presbyteri opes ſibi ex ea cogerent pecunia, quamquisq; ex propenſa liberalitate in uſum Eccleſiæ largiri ſolet; nempe ad ſuſtentandã penuriam Miniſtrorum pauperum, & quorumvis ægrotantium, illorumq; quos impia Caini & Eſau proles perſequeretur, qui non poſſent labore manuum victum ſibi parare. Dedecere ſervos Chriſti ita ſua curare, ut cætera ejusdem Domini inops familia deſpiciatur; in honeſtè parari inclementiâ opes; amorem proximi beneficentiâ declarari maximè. Paſtorum populi eſſe Apoſtolos imitari, poſſeſſionemq; auri & argenti cavere; Theſauros ſibi in Cœlis parare; Lilia agri, aëreasq; volucres, aſpicere, omnemq; ſui curam Deo, etiam Cervorum Paſſerumq; pullos providentiâ ſuâ conſervanti, permittere; qui illud de ſuis ſervis effatus ſemel, præſtaret ſemper, *Non deſeram te, neq; derelinquam*, &c. &c. Ita Fratres cum Valdenſibus, ſua etiam, ſi quæ emendatione egerent, cenſuræ ipſorum ſubjicientes &c. *Quæ vero Valdenſes Fratribus ad ſuperiora reſponderunt, hæc erant: Non diſplicere ſibi propoſitum Fratrum Bohemicorum, de ſocietate Religionis ſecum firmiùs jungenda: ſed conſultiùs videri, ut de eo omnes priùs deliberarent. Quod ad vitia, quæ vitæ conſervandæ amore admitterent, ſe ea neq; ignorare, neq; excuſare: fateri ſe, uti cæteros Chriſtianos, ab antiqva majorum ſuorum fortitudine, atq; frugalitate aliquantulùm deflexiſſe: eam vim naturæ omnibus in rebus eſſe, ut à prima origine progreſſu temporis non nihil degeneret: tamen ſe cogitare de emendatione, velle admonitionem Fratrum, ut utilem, ita ſibi gratam eſſe.* Coclusum ergò, ut utriq; (inſcijs Sacerdotibus Pontificijs) rurſus unâ convenirent, certi quidpiã de rebus à Fratribus propoſitis conſtituturi, & vitioſa quæq; ſecundùm Verbi divini Canones utrinque amputaturi. Fratres gaviſi futuræ conjunctionis ſpe, præparant ſe ad condictum conventum. At Valdenſes pacti ſilentij immemores (nec extra culpam levitatis, quæ genti Gallicæ vulgô adſcribitur) arcanum conſilium publicant. Quare Sacrificuli dehortari illos, ac terrere minaciter, deſiſterent ab incœpto, Picardorum conjunctionem fugerent, &c ſi quidem longiori quiete frui cuperent. Iſti

his dictis territi, nec se Fratribus adjungunt, nec depravata corrigunt; duo solùm Ministri illorum, vitâ in melius commutatâ, ad Fratres transeunt &c.

VII.

E LIBRO TERTIO.

Fratres qvæsitum mittunt puras Ecclesias.

WLadislao gubernacula Bohemiæ tenente, quæsiêre tandem Fratres, quod pridem erat illis in animo, *An usqvam gentium essent ejusmodi Christiani, qvi ut ore Christum confiterentur, ita moribus referrent, puros Ecclesiæ antiquæ ritus observarent, Papæ Romano obstricti non essent*; non postremam in eo delectationem posituri, si istiusmodi hominibus repertis, fraternâ illis societate jungi, ab illisq; perfici, possent. Placuit igitur omnibus mitti, harum rerum pervestigandarum causâ, aliqvot prudentes viros, in longinqvas Regiones: daturq; destinatis ad iter à Nobilitate viaticum: (Erant enim jam adjuncti Fratribus, non solùm ex ordine Eqvestri, verùm & ex Baronibus, opulenti homines non pauci.) Cæteris liberalior fuit Bohussus Kostka, Baro à Postupitz, Litomisliæ Dominus, imperterritus Fratrum defensor; qvi & investigatoribus ab Rege Diplomata impetravit, securi transitûs & salvi reditûs, per Regum ac Principium provincias ac ditiones. Delecti igitur investigatores, acceptis mandatis per Poloniam Constantinopolim versus, contendunt: Unde scilicet ante viginti & aliquot annos Bohemi, post suam à Papa secessionem, literas ab Ecclesia Græca acceperant, quibus ad unionem cum ipsa faciendam amicè invitabantur. Hujus unionis Fratres cupidi, explorare priùs religionem vitamq; Græcorum voluerunt. Constantinopoli lustratâ, divisis itineribus perrexêre; *Lucas* quidem *Pragensis* in Græciam, vicinasq; Regiones versus Italiam &c, *Maresius Cocovecius*, Nobilis Vir, in Moscoviam, alias que Slavici generis Regiones: *Martinus Kabatnik* civis Litomisliensis, adjuncto sibi Judæo interprete, in Palestinam atq; Ægyptum (cujus liber hac de peregrinatione extat Bohemicus, Anno Christi 1490 typis excusus,) *Caspar* verò *Marchicus*, viribus factus infirmior, reditum horum suorum comitum Constantinopoli opperiebatur: ita tamen, ut interim Thraciam & loca finitima perlustraret, &c. Reversi domum, ex Asiaticis & Africanis regionibus, pietatis illi inqvisitores, spe falsi suâ, quòd nihil eorum quæ cupiebant invenerint; falsi & illi, qvi eo fine hos viatico instruxerant, ut ex bonis remotarum Ecclesiarum exemplis emolumentum aliquod caperent: ita speciosæ quondam

dam Ecclesiæ jam tum emarcuerant. Omnes, quos videre potuerunt Christiani, qvasi ex composito in varij generis vitia, Divorumq; & Simulacrorum cultum, ruebant, superstitionibus deditis, & qvæ potiora sunt, Legis Divinæ, negligentes: Sacerdotes sceleribus superabant populum, nec tamẽ à qvoquã corrigi volebant: ut verissima fuisse illa Monitorum, qvi tali itinere supersedendum esse svadebant, de corrupto universo Christiano orbe testimonia (qvæ libro superiori memoravimus) oculis tandem convicti suis agnoscerent. Tantum rebus in omnibus mutare solet temporis longinqvitas, maximè ubi præfectorum populi socordia invalescit. Ut qvod Varro dixit de homine, *Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta;* hoc illi tùm spectârint in illis qvas adierant Ecclesijs. Qvas qvis miretur in Turcicam devenisse potestatem? Nec aliter olim Palestini peccata peccatis cumulantes Israelitæ, gentibus Idololatricis, Cananæis, Philistinis, Syris, Assyrijs &c, castigandi tradebantur à DEO &c.

VIII.

Fratres canonem condunt, cum quibus Ecclesiis, & quomodo, jungi optandum sit.

Anno

ANNO 1486. adversarijs eâ calumniâ Fratres onerantibus, quasi hi omnibus alijs Ecclesijs, atq; earum Ministris, damnatis, sibi solis ut Salutem ita Ecclesiam arrogarent: hæc in communi conventu de his rebus decernunt, quæ ad verbum liber Decretorum ita habet. *Si fuerit repertus quispiam Sacerdos in alia Ecclesia, Veritati contrariâ, qui ob puriorem doctrinam, & quod rarum est probatos mores, commendaretur, debent de eo omnes fideles gratias DEO agere: tales enim singularis alicujus boni causâ divinitùs excitantur. Non debent tamen ij vel se illi adjungere, vel Sacramentorum communionem ab ipso petere; primùm ideò, quòd periculosum videatur, hujus rursum Ecclesiæ participem esse, â quapropter multiplices perniciososq; errores & abusus, specie veritatis tectos, facta est secessio. Deindè, quòd post mortem istiûs Ministri, nullum fortè Pastorem alium huic similem habituri essent. Tum quia idem nullo legitimo adjuvetur societatis ordine; qui in eo consistit, ut alij præsint, alij obtemperent; omnes verò in unitate Spiritûs & Corporis Christi permaneant. Postremò quoniam fideles, bonorum copiam Dei beneficentiâ domi jam habentes, non sine periculo apud exteros quærere salutem viderentur. Quod si autem fuerint multi Sacerdotes, qui legitimo inter se juncti ordine, populum sibi commissum puro Dei Verbo pascerent: hos fideles ut suo arbitrio contemnere, sic se illis*

illa applicare, relictâ societate Ecclesiæ domesticæ, non debent. Verùm Seniores Ecclesiæ dabunt operam, ut aliquâ ratione cum illis conjungantur, & in unum corpus coalescant: Omnia enim in Ecclesia Christi, ordine geri debent, 1. Cor. 14. Quòd si maximis & necessarijs Christianæ Religionis articulis, in quibus cætus externus Ecclesiæ Christi fundatur, præ nobis excellant: & constet Senioribus illos in hisce Articulis sine ulla vacillatione perstare, se ijdem, suaq; omnia, unâ cum populo, ipsis subjicient. Sin minus excellant, tamen quatenus Veritatis notitiam habere cognoscuntur, neq; vituperandi sunt, neq; contemnendi; præsertim si Ecclesia illorum fundamento solido innitatur. Non debet autem cum illis fieri conjunctio, propter defectus illis quidem incognitos, sed nobis notos: ne forte illorum contagione puritas doctrinæ cœlestis corrumperetur. Verùm fraternè ad clariorem lucem agnoscendam, illis inserviendum erit. Postremò profitemur, nullum solum unum cœtum, quantumvis numero pollentem, posse esse, aut dici, Ecclesiam Catholicam: id est talem, qui universum fidelium numerum complectatur, nec DEUS extra ejus limites alibi electos suos habeat. Sed solam & unicam fidem Catholicam Christianam, in Veritate à Deo fundatam, & in Verbo ejus scriptam, ubicunq; locorum sub nomine Christiano esset, constituere Ecclesiam sanctam Catholicam; extra cujus societatem nulla spes Salutis credenda est.

IX. Fra-

IX.
Fratres iterum in Gallias & Italiam mittunt.

ANno 1488 misêre iterum Fratres in Gallias & Italiam, *Lucam Pragensem* & *Thomam Germanum*, Cœtus pios, & veritatis cœlestis amantes, in ea Europæ parte, quæ primas in Christianitate tenere existimabatur, indagaturos. Quibus Regionibus dum vacant perlustrandis, inveniunt in media fece vulgarium Christianorum, carnis concupiscentijs deditorum, quosdã viros Dei metu præditos, varijs periculis expositos (per eosdem enim dies pientissimus monachus *Hieronymus Savonarola*, Florentiæ vivus comburebatur, cujus rei Fratres fuêre spectatores.) Nihilominus cum alijs & alijs pijs de Religione sententias contulerunt, & alteri alteros mutuâ cohortatione ad absolvendum Christianæ pietatis cursum cohortati sunt. Inciderunt & in Gallia in Valdenses, ejusdem fortunæ; à quibus planè hospitaliter & fraternè accepti sunt, atq; tractati. Itadbus ubiq; locorum suos habet, vulgo ignotos, quorum vita crux est perpetua, mors perenne gaudium. Morati verò aliquandiu Romæ, ut omnia Apocalypsi de illa scripta oculati testes pernoscerent, viderunt super septem montes sitam fuisse, nunc autem ad Tiberim descendisse; Po-

pulos

pulos variorum Gentium, & Meretrices penè innumeras, habere; majori ex parte dirutam, vastatamq; jam esse; verè magnam (propter ambitû 32 milliarium Italicorum) ab Angelo dici; Bysso, purpurâ, coccô, indumentis mollissimis, vestiri; delicijs enervari; omnis generis voluptatibus perfluere; continentes Christianos ludibrio habere; Imperium ejus, quondam maximum, magis ac magis decrescere; eum qvi ipsam nunc tenent, divi Petri scilicet successorem, Sanctissimũ vocari, adorari, coronari, throno excelso gestari; armis circum eum strepentibus terribilem reddi; ad pedes suos osculandum filios DEI admittere; supra Reges se efferre; arbitrio suo quidvis in Orbe Christiano agere; Clavibus Christi abuti; his Gladium adjungere, Bellaq; Regibus inferre; homines jure jurando solvere; fœdera DEO teste facta rumpere; Connubia illicita copulare; dispensationes Legi divinæ adversas facere; Expectativas avaris concedere; Beneficia Ecclesiastica partim in ineptos, partim multa in unum, conferre; pœnam meritis, acceptâ levi pecuniolâ, gratiam facere; animas qvodam purgatorio eximere; conservis suis tyrannicè dominari; qvicqvid ageret, acceptum id DEO esse opinari; majorem se Conciliô vocare; omnes nutui suo obsequentes habere; Beatorum in cœlis numero, qvi placerent, adscribere; qvi displicerent, tartaro ad-

dicere; ab se dissentientes hæreticos dicere; è Pallijs qvibusdam sacris magnam vim auri, ab novitijs Episcopis, corradere; contemptâ Christi paupertate immensis opibus inhiare, suosq; ditare; abjectâ ejusdem humilitate, superbissimè se in omnibus gerere: Pastorem primarium nunqvam populum Verbo DEI pascere: signis mirabilibus, qvæ ad Imagines in Regno ejus passim edantur, fastuosiorem reddi. Hæc, aliaq; plura, in Templo DEI sedentis apertè Antichristi facinora, Fratres non absq; stupore spectantes, animadvertunt qvendam *Valdensem*, hujus ipsius deastri vegeti, humeris sex bajulorum gestati, fastum mollitiemq; detestantem. Qui causam ab illis rogatus, cur hoc cum suis clam faceret, nec publica peccata palàm carperet, respondit: *malle ita bestiam devorare, quàm ab ea devorari.* Nisi (inqvit) me eadem pati velitis, qvæ expertus qvidam est, qvi hoc idem cernens, & clarâ vocæ, *Non sic Petrus*, dicens, sacco protinus inclusus aqvam Tiberis bibit. Non licet hîc, ô Bohemi, nec tutum est, verum palam dicere: peccare multifariè, pejerare, mentiri, assentari, scortari, licet. Tuebatur verò suam opinionem Josephi & Nicodemi, occultorum Christi discipulorum, exemplo, atq; hoc Apostoli (de re alia) dicto; *Tu fidem habes? apud temetipsum coram DEO habe.* Quod qvidem synceris Fratribus displicuit. Quare ad suos

suos reversi, omnia ipsis enarrant, demirantibus DEUM tantam mortalibus immisisse deceptionis efficaciam ut crederent mendacio, qvi à veritate animos averterunt, &c.

X.

Fratres suæ à Papatu discessionis causas examinant: sententiamq; de Sacramentis suam.

ANno 1994 tractatum est in Synodo Fratrum, *de secessione à Rom. Ecclesia:* cujus causæ, ut antehac, inventæ sunt justæ. Dicebant autem *se ab illa descivisse, non propter improbos civium eos Mores, ad quos imitandos nemo cogeretur, quiq; à volentibus facilè vitari possent: Sed quòd de Sacramentis, ipsoq; divino cultu perversas opiniones tueretur, aliosq; omnes ad idem malum adigeret, ac sequi renuentes tyrannicè tractaret.* De Cœna Domini hanc sententiam ibidem scripserunt: *Ubicunq; sacra Synaxis secundum constitutionem & voluntatem Christi administratur, credimus Panem Corpus, & Vinum Sangvinem ejus esse, Sacramentaliter ac mysticè. Non signum corporis, ut Taboritæ senserunt &c.* Non ignorandum verò est, in illis primordijs suis Fratres aliquandiu rebaptisare solitos è Papatu ad Evangelium venientes. Cujus rei causa prima illis fuit vulgaris Ecclesiæ illius temporis consvetudo: quòd sicut Pontificij Calixtinos atq; Græcos, ita hi vicissim illos, denuò baptizarent. Cujûs rei legitur exemplum in Miechovio, Chronicorum Polonicorum Cap. 47. lib. 4. de Sophia Græcæ, sive Rusicæ, religionis, Regina Poloniæ, Jagiellonis Conjuge. *Altera*, quòd Fratres priorem baptismum ab Antichristianis sacrificulis collatum scirent, quorum ut fides frigida, ita preces Deo ingratæ, essent: in Baptizato autem nec effectus mortui cum Christo veteris Adami, ut scriptura loquitur, apparerent, nec ulla cognitio prioris Baptismi esset; quòd nempe insitam nobis primorum Parentum labem deleret, Baptizatosq; cives Cœlestes, & membra Ecclesiæ Christi, faceret; quodq; Deus Pater suos liberos per Baptismum regeneret, atq; illuminet. *Ad hoc*, legebant idem hac dere in Justino & Cypriano Martyribus: Legebant Christianos Aethiopes in memoriam Baptismi Christi quotannis Baptisma renovare. Legebant item in Actis Apost. (Cap. 19) Johannis Baptismum perfectiore Baptismo Christi absolutum à Paulo factum esse. Hisce igitur Fratres, aliisq;, moti rationibus, ab illis primordijs suos rebaptizabant. Etiam ideò, ut sacro lavacro abluendus errores peccataq; sua cognosceret, fidem synceram confiteretur, promissis divinis crederet, Baptisma prius in memoriam sibi re-

 voca-

vocaret, & sanctiùs sedeinceps in meliori Ecclesia victurum, Christo redemptori suo, præsente Cœtu piorum, polliceretur. Nec tamen omnes rebaptizabantur: Sed ij tantùm, qui de priore Baptismo, à Babylonijs accepto, dubitabant, quiq; causas cur Christiani essent ignorabant. Sed postea Fratres rem diligentiùs perpendentes, & quæ sit vis semel in uno Baptismate invocati nominis Divini considerantes, atq; etiam commone facti à quibusdam doctis Viris, rebaptizationem abrogârunt: nempè quemadmodum etiam Cyprianus, errorem suum propè mortis articulum deposuit, teste Augustino cap. 5. lib. 2. contra Donatistas. & Eusebius scribit (Cap. 2. lib. 7. Eccles. Historiæ) *Ex consvetudine ab antiquis ducta temporibus in recipiendis in Ecclesiam ijs hominibus, qui à quocunq; genere hæresis revocati essent, preces solùm cum manuum impositione adhiberi solitas, non rebaptizationem.* &c. Anno 1499 Fratres in Synodo locũ de Cœna Domini illustrãtes, distinctioné fecerunt inter prædicationẽ figuratam (ut, *Christus est petra, via, janua, panis &c.*) et inter prædicationem Sacramentalem (*Panis est Corpus Christi*) Contraq; sensum Taboritarum ferentes decretum, prohibuerunt, ne sententia Cœnæ Domini explicetur tali phrasi; *Panis ita est corpus Christi, quomodo Christus est Petra, Janua, Via.* Hæc illi, piè omninò & reverenter. Nec

Nec tamen defuerunt adversariorũ clamores, irreverenter Sacramẽta tractare, impieq; blaspehmare. Inter alia flabella fuit Augustinus Olomucẽsis, qui contra Fratres diversis scriptis pugnans, Regem Wladislaũ talibus etiam alloqvutus fuit (Epistolâ 2. Anno 1506. scriptâ) verbis: *Vidi literas, quas nunc Majestati Tuæ perfidi & abjecti Pighardi scribunt. Quid ego amplius dicam? cùm apertè fateantur, quòd Corpus Christi sub specie Panis & Vini non debeat venerari? Non sunt digni pessimi latrunculi, qvi nobili elemento Igne absumãtur: Sed ut corpora eorum ferocissimæ feræ dilanient, canes Sanguinem eorum lingant: in vindictam salutis nostræ, Corporis & Sanguinis JEsu CHRIsti, ut pro eorum meritis venerari carnifices compellantur, qui honorem dare Christo spernunt.* Quàm facundus nugator! Non adorant Fratres Sacramentum; ergô non honorant CHRIstum &c. Dum ergò iterum Regi Wladislao rationem fidei suæ, scriptis ad eum missis, redderent, & adversariorum criminationibus Apologias suas opponerent, Fratres, in illis collationibus & consultationibus assidius, *Quid sentiendum, & quibus verbis loquendum sit de Cœna Christi, ita* (congregati Anno 1508) mutuo consensu concluserunt, & in suis monumentis consignarunt. *Optimum quidem esset verbis Domini; Hoc est corpus meum, simpliciter, piè, & humiliter, credere.* At cùm mul-

O 2

multi nolint esse contenti simplici istâ confessione, sed urgeant, Quomodo sit Panis Corpus Christi, Vinumq́; sanguis? Sentiendum, credendum, atq; interrogantibus respondendum est hoc modo: Unanimiter, secundum sensum Sacrarum literarum, statuimus: Panis est Corpus Christi naturale, traditum pro nobis in mortem, Sacramentaliter, Spiritualiter, Potenter, & Verè. Sacramentaliter, *id est mysticè:* Spiritualiter, *id est non corporaliter, non tangibiliter, non visibiliter, non sensitivè.* Potenter *seu efficaciter, id est communicativè, fidelibus ad confirmandum gratiam salutarem, indignis ad judicium.* Verè, *id est non in signo sicut typi veteres, sed in veritate, & re præsenti, ita verè ut Christus verax dixit*, Hoc est Corpus meum, Hic est sangvis meus. *Itaq; corde credendum & ore confitendum est, cùm Sacerdos dignus, accepto pane & vino, orat cum Populo fideli, & benedicit, atq; verbis Christi pronunciat Panem & Vinum Corpus & Sanguinem Domini, illicò, in præsenti communione & usu, esse Panem Corpus, & Vinum Sanginem Christi, percipiendum ad commemorandam & annuntiandam mortem Domini, donec venerit.* Hactenûs verba Fratrum. Quā sententiam, dictasq; Phrases, decennio pôst in frequenti synodo Boleslaviæ habita, Anno 1518. diligenter examinârunt & confirmârunt: & ad Lutherum in responsione sua, Anno 1523, scripserunt. Ac postea, Anno 1526. contra Habrovanitas, signum & figuram urgentes, libro lingvâ Bohemicâ publicato (cui Titulus est *de Signo & Veritate*) defenderunt: atq; hactenûs semper retinuerunt, & illustrârunt. &c.

XI.
Erasmi Rotorodami de Fratribus Boh. judicium.

--Circa annum 1511 cœpit sermone hominū celebrari *Erasmus Roterodamus*, artium humanitatis, synceriorisq́; Theologiæ, instaurator, & fidei Orthodoxæ assertor à multis habitus: ad quem *Johannes Schlechta*, Nobilis Bohemus, quædam de Fratribus malâ fide perscripsit, minimè ab eo laudata: at quæ veriora erant, ea non improbavit Erasmus. Sic enim Schlechtæ respondit: *Quòd sibi Sacerdotes & Episcopos ipsi eligunt Fratres isti, non abhorret à consvetudine veterum: sic electus est Sanctus Nicolaus, sic Ambrosius. Quòd indoctos, tolerabilius esset, si vitæ pietas pensee eruditionis inopiam. Quòd se invicem Fratres ac sorores appellant, non video cur debeat reprehendi: atq; utinam eadem appellatio mutuæ charitatis perseveret apud omnes Christianos! Quòd minus tribuant Doctoribus, quàm Divinis voluminibus, hoc est, plùs deferant DEO quàm hominibus, rectè sentiunt. Jam tametsi non abhorret à vero, Christum &*

stum & Apostolos in quotidiano vestitu consecrasse: tamen impium est contemnere, quod non absq; salutari consilio post, à patribus, est institutum. Quod si istis tantoperè placet Dominica precatio, ea & nostri Sacrificij pars est. De Festis diebus non multùm ab est istorum opinio à seculo Hieronymi: nunc in immensum accrevit festorum turba, cùm nullis diebus plus scelerum committat vulgus: & quod est inhumanissimum, coguntur esse otiosi totos dies, nec victum alendis suis quærunt. Sint crebra festa, sed in Templis; quibus peractis redeant homines ad sanctos labores, &c. Ita Erasmus. Cujus Viri celebre nomen movit Fratres, ut ad eum miserint Antverpiam, ubi tunc degebat, *Nicolaum Claudium* & *Laurentium Votikum*, cum suæ Religionis Apologia, Noribergæ tunc (quod ego miror) excusa. Accesserunt, donum precesq; omnium Fratrum nomine obtulerunt; orantes ut Librum diligenter perlegeret, ac notatos, si qvi in eo inveniuntur errores, candidè ipsis indicaret: qvos agnoscere, ac cedere melioribus, parati essent. Sin verò nihil in eo Christianis indignum offenderet, ornaret eos suo, qvod tunc magni ponderis fiebat, testimonio, ac qvantum posset ab injuria defenderet. Erasmus se id facturum polliceri; munus sibi acceptum esse dicere; Fratribus veri cognitionem, quam pridem multi boni expetierint, gratulari; ac de multis cum Legatis (docti enim & prudentes fue-

runt) conferre. Qui legati, interjecto aliquanto temporis intervallo, qvô superstitiosam Ecclesiarum inferioris Germaniæ religionem lustrabant, reversi ad eum rogant, num Libellum legerit? Verùm is, varias prætendens occupationes, *negare sibi otium omnia evolvendi fuisse: tamen haud paucis perlectis nullum errorem animadvertisse, idemq; de cæteris existimare. Quod ad testimonium, id neq; sibi tutum videri neq; Fratribus necessarium esse: cùm ideò, quòd in illo nequaquam ij acquieturi essent, ad quos fama de Picardis pervenisset; tùm quod tali omnibus invisorum commendatione, id tantùm effecturus esset, ut Pontificiâ authoritate sua scripta ex manibus hominũ excuterenter, ex quibus veræ pietatis semina hauriri vulgò dicerentur, & paulatim repullulans Religio multũ juvaretur, quæq; liberè ab omnibus legerentur. Cùm igitur suæ censuræ accessione, neq; nobiliores, neq; meliores reddi possent, præstare ut se ipse ad meliora servaret Ecclesiæ. Fratres verò sicut instituissent, purius Christi Regnum more suo propagarent dilatarentq;.* Reversi Boleslaviam legati, Erasmi dicta Senioribus referunt, aliud de illo antea sperantibus; qvæ hi æqvis tulerunt animis, illa Christi perpendentes verba, *Ego testimonium ab homine non accipio.* Erasmo id nihilò seciùs accidit, quod, si veritati tulisset testimonium, & præstitisset patrocinium, futurum metuebat. Etenim Papa Pius IV. qvo-

rundam scriptorum ejus lectione omnibus interdixit, donec à Censorib. Romanis repurgarentur. Fuit Erasmus in Religione varius, & medij cujusdam sectator, qvod hæc non admittit: quæ strictè repurganda est, procùl ab ea oportet illa facessant, qvæ institutis divinis homines desuo attexuerunt. A principio tamen Erasmus utriq; parti placere studuit: ideoq; eum Cœlius Secundus Curio, Rhetor Basiliensis, in Dialogo qvodam, scitè ad modum inter Cœlum & Terram pendentem finxit, &c.

XII.

De Lutheri ortu, Fratrumq; ad illum legatione.

EXoritur tandem Vitebergæ in Saxonia, (providentiâ quâ regitur orbis Terrarum) Doctor ille Germanorum, *Martinus Luther*, sub finem anni 1517 avarâ Papalium Indulgentiarum nundinatione (non secus ac Hussus) excitus, Majestatis divinarum literatum vindex, & puræ Religionis restitutor: quô nullus ante plures Ecclesiæ Romanæ errores, apertiùsq; & liberiùs, ostenderat. De quo Erasmus Roterodamus, Scriptorum Ecclesiasticorum censor acutus, itascripsit; *Ex libris Lutheri lectis, videbar mihi deprehendere dotes naturæ raras, & ingenium pulchrè accomodatum, ad explicandum juxta veterem morem arcanas literas, ad suscitandam Evangelicæ doctrinæ scintillam, à qua & publici mores Orbis, & Scholæ nimiùm jam indulgentes argutijs, magis quã necessarijs quæstiunculis, vehementer prolapsæ videbantur. Audiebam eximios viros, probatæ doctrinæ, probatæq; religionis, sibi gratulari, quòd in hujus Viri libros incidissent. Videbam, ut quisq; esset integerrimus moribus, & Evangelicæ puritati proximus, ità minimè infensus Luthero. Porrò vita prædicabatur & ab ijs, qui doctrinam non ferebant. Mundus, veluti jam pertæsus hujus Doctrinæ, nimiùm vergentis ad humanas vel commentatiunculas, vel constitutiunculas, sitire videbatur vivum illum ac purissimum laticem, ex Evangelicis & Propheticis haustum venis. Ad hoc præstandum mihi videbatur ille, & naturâ compositus, & accensus studio.* Hæc Erasmus de Luthero, nondum ab eo offensus magnâ illâ, quæ in eo fuit, damnandi falsa dogmata libertate: Lib. 14. Epistolâ ad Laurentium Campegium Cardinalem 6. Decemb. 1520. Lovanij. Hic verò est ille Cygnus sonorus, quẽ Anser comburendus (Hus) altera Deo chara avis, centum & duobus ante annis aliquando exoriturum prædixerat. *Quare majorem in modum lætati sunt Fratres, auditô Lutheri ortu, & in purganda Ecclesia prospero pergressu*, &c. Anno verò 1522, Luteri famâ vires sumente, scriptisq; ejus etiam

etiam in Bohemiam pervenientibus (nam & ad senatum Pragensem scripserat de instituendis, ac in Templa inducendis, puris Evangelij Ministris) Fratres nullam prætermittentes occasionem, qvæ spem aliqvam haberet dilatandæ magis ac magis charitatis Christianæ, ablegârunt ad Luterum certos viros è suo corpore, ad gratulandum ipsi lumen agnitæ Veritatis, atq; id optandum, qvô se ea, ipsiûs operâ, in Orbem Terrarum qvàm latissimè effunderet. Qui viri haud mediocriter ipsi, licet aliâs animoso, addiderunt animum, eumq; de sua Ecclesia ignarum meliùs erudierunt, & societatem cum eo junxerunt. De quibus sic ipse ad Spalatinum: *Picardi apud me legatos habuerunt, de fide sua consulentes. Inveni fermè omnia sana: nisi quòd obscurâ phrasi, & barbarâ, utantur, pro Scripturæ phrasi. &c.*

XIII.

Fratres, rogati à Luthero, quadam sua pleniùs explicant.

ANNO 1532. Papâ Adriano in Comitijs Noribergensibus morbos & vitia Ecclesiæ ab ipso ejus capite, quod interris esset, usque ad pedes agnoscente, spemq; illius emendandæ aliqvantò liberaliùs pollicente: ediderunt Fratres Germanicè *Catechesin puerilem*, à Luthero visam. In

In qva cùm scriptum legeretur, *Adorationem à Sacramento Cænæ Domini abesse debere, propterea quod in eo Corpus Christi naturâ suâ minimè inclusum esset;* oravit eos, ut hac de re aliqvid apertius conscriberent. Petijt tamen simul, ne hæc sententiarum de Cœna Domini diversitas, semel initam abrumperet amicitiam; curaturum se pollicens, ut si aliud scriptum hac de re sibi satis faceret, id inpublicû per Typographos Vitebergenses ederetur. Missus ergò ad eum, à Luca Pragensi, jam Fratrum Episcopo, ejusdem argumenti libellus, haud aliter est acceptus, qvàm Catechismus. Quocircà rescribens Fratribus Germanicè, ostendit, qvid ipse hoc de Sacramento sentiret, ac sentiendum omnibus censeret: tùm qvæ obscuriora in eorum scriptis essent; & quæ illorum instituta in primis probaret, &c. Quod Lutheri scriptum in ejus Tomis exstat: Fratrum verò rescriptum, hîc à Lasitio in compendium redactum est. Ubi subdit: Scripserunt etiam *de Fide ac Operibus bonis, semper Fidei jungendis:* aliud esse docentes, *Credere de DEO, DEO, & in DEUM.* Quod discrimé propter illos statuerent, qvi vivâ, qviq; mortuâ fide præditi sunt: quorum himulta sæpe Deo, atq; de Deo, absq; vera in Deûfide, crederent. In DEUM credere, esse dono Fidei, per spiritum, conseqvi vivificantionem & renovationem Voluntatis, ita ut par est credentis, & qvæ mandata

data sunt, exequentis, ut homo exsequendæ divinæ voluntatis studio, voluntati DEI fieret conformis. Neminem quidem nisi gratiâ Dei, absq; operibus, justum fieri: Justificationem tamen effectum seqvi necessariò, justitiæ studium, juxta illud Johannis 1. Joh. 3. v. 3, & 7: *Nemo vos seducat, qvi facit justitiam justus est, sicut ipse* (Christus) *justus est.* Ita primos parentes nostros, justos gratiâ Dei factos, præcepta vivendi accepisse, ac ob ea violata vitâ æternâ excidisse. Similiter post lapsum Adami, Abelem, Noëmum, Abrahamum, cæterosq;, justos fide pronuntiatos, justitiæ suæ effectus factis demonstrasse: idem ipsum CHristum fecisse, & Apostolos cum mandatis prædicandi Evangelij, & observatione Præceptorum suorum, in Mundum misisse. *Quemadmodum ante Justificationem fide obtingentem, nulla opera facerent justitiam Dei; ita eam pòst, sine effectis visibilibus nullam esse. Mirum sibi videri qvòd Luterus in Fide deprædicanda, & peccatis per eam facile remittendis, adeò occupatus, in urgendis effectis justitiæ Fidei, per Pœnitentiã se exerentibus, minùs operæ poneret.* Hæc ita Fratres ad postulata Luteri, qvem Organon Dei appellant, *&c.* Quibus ille tùm acqvievit, nihilq; contra ea rescripsit. Eodem tamen anno (veluti in quibus ad huc deficeret agnoscens, & responsione Fratrum, admonitioneq; ab eis sibi factâ contentus) literas dedit huma-

humanissimas, ubi etiam hæc ad Fratres verba sunt: *Orate vos pro nobis, ut assiduum exercitium, tùm Verbi, tum etiam Charitatis, & bonæ Vitæ, apud nos sit: præsertim cùm è luto Papistici Regni nuper eluctati simus.*

XIV.

Inter Lutherum & Fratres orta dissensiuncula majori consensu pensatur.

ANno 1524. quô Lutherus cucullum Monasticum (9. Oct.) exuit, missus est rursus à Senioribus Vitenbergam idem qui antè, *Fra. Johannnes Robus*, homo doctus, tam colloquij cum Luthero, quam *Disciplinæ in renascenti Ecclesia cognoscendæ causâ.* Quam Disciplinam, cùm in hominum inveterata vivendi licentia, & magno undiq; concursu varij generis Scholasticorum, non constitui viderent Fratres, offensi hâc vitæ sanctioris, (quam Regenerationem vocant, cuiq; ipsi magnâ curâ incumbunt) negligentiâ, intermiserunt cum Luthero commertium octennio. Quod is ubi animadvertit, simul & à quibusdam Fratrum osoribus concitatus, carpsit paulò quàm conveniebat licentiùs, quædam Fratrum instituta: inter alia (quæ in primis ejus scriptis, Sermonibusq; Convivalibus, legun-

guntur) dabat illis vitio, *quòd infantes in fide Ecclesiæ, Deo ipsos offerentis, baptizarent; Marem cum fœmina ducere choreas vetarent: easq; à carnis lascivia nasci, & peccatum in saltante gignere, sentirent: Justificationem hominis parùm syncere explicarent; innocentiæ vitæ scilicet plus satis tribuendo.* (De quibus omnibus infra dicetur: De Saltatione verò Libri octavi Capite XXI.) Interim moritur (Anno 1528.) doctus Fratrum Episcopus *Lucas Pragensis*, testamento hoc suis relinquens, ut cum puritate Doctrinæ Pietatis studio constanter invigilarent. Inter alia ejus dicta hoc fuit memorabile: *Fratrum Ecclesiæ non esse metuendum ab externis hostium persequutionibus, quibus illa exscindi nõ possit, sed à neglectu disciplinæ &c.*

Anno Domini 1532, qui fuit secundus à conscripta Confessione Augustana, rogati Fratres ab *Georgio Marchione Brandeburgensi*, Ludovici Regis educatore, conscripserunt Germanicè Religionis suæ Epitomen, anno proximè hunc secuto cum amica *præfatione Lutheri* Witebergæ editã: in qua illos sibi quondam in Eucharistiæ articulo suspectos testatur satis fecisse, commendatq; illorum pietatis studia. (addito, *Optem mundũ universum nobiscum, nosq; cum mundo universo, in Fidei Christi unitate concordare, si non phrasibus loquendi, at sensu* &c.) Anno 1535. *Fratres viso* auditoq; Luteri in asserenda veritate profectu, & erga semet propensione, cœperunt rursum cum eo familiariùs agere de rebus Theologicis. Et quoniam Luterus antè qvàm Fratres benè nosset, ea de ipsis scriptis mandârat, qvæ omitti meliùs erat, amicè cum eo per suos internuncios de his expostulârunt. Tum ille, *Agnosco*, inqvit, *hæc mea de vobis, quæ ego ignorantiâ, & vulgi sermonem secutus feci, melioribus ea aliqvando compensaturus.* Epistola Lutheri ad Fratrum Episcopum, Benedictum Bavorinum, hæc erat. *Gratia & Pax in Christo Venerabilis vir, Benedicte, Domine in Christo charissime: Audivimus, ego & Magister Philippus, Fratres à vobis missos, & qvidem diligenter: hi vobis rursùs nostri animi judicium & intentionem renunciabunt. Valdè autem nobis gratũ fuit, quòd illi verum sensum circa fidem Sacramenti nobis aperuerint, deinde & verba quædam, quibus aliquoties commovebar adeò, dilucidè explicaverint, ut nunc fateri cogar, mihi omninò satis factum esse. Inqvare, seu sententia, non video quid differamus, licet nos aliis verbis utamur: verùm ut dicitur, frustra de verbis disceptatur, ubi res ipsa conveniunt. Baptismum apud vos esse correctum, vehementer gavisi sumus. Nam ubi hæc duo Sacramenta rectè & ritè administrantur, cætera omnia observatu facilia sunt: de his fratres ipsi vobis copiosiùs enarrabunt. Quare non est quòd dubitetis, tantisper dum vos ita nobiscum, & nos vobiscum sentimus, de nostro syn-*

cero erga vos amore & benevolentia. Quod si alterutri parti quid piam defuerit, (sicut non omnes sancti in hac vita perfecti sunt) ea permutuam & Christianam patientiam transigemus. Abundè satis est, si Ecclesia sancta Catholica in fide & doctrina consentit: Caeremonias & Mores variari ipsa necessitas postulat. Ita enim docent & scribunt ipsi Apostoli, ita & Christus praecipit, remittendum esse Fratribus, dum modo in Christo sunt & permanent. Nos sanè fortiter urgemus discrimē Doctrinae & Vitae: Doctrina enim efficit aut Christianos, aut haereticos; Vita autem sanctos aut peccatores. Mali reprehendi & excludi debent, sed (ita ut Paulus docet) Fratres primum esse admonendos, & non statim abjiciendos. Plura ab hiscè Fratribus audietis. Benevalete in Christo, orate pro nobis, sicut & nos pro vobis oramus. Data Dominica Tertia Paschae 1535.

Melanthon quoq; haec tum scripsit ad eundem Benedictum Archipresbyterum.

Existimo vir eximie, fratres tuos in hoc nostro congressu in multis rebus meliùs meam sententiam cognovisse, & perspexisse, quàm olim. Ego quoq; videor mihi res vestras percepisse. Quare cùm de praecipuis articulis Doctrinae Christianae inter nos cōstet, complectamur nos mutuo amore, neq; dissimilitudo & varietas rituum, & Caeremoniarum, disjungere debet mentes nostras. Saepe Paulus concionatur de Caeremonijs, & prohibet Christianos dissidere propter varietatem Rituum & Ceremoniarum, quā vis Mundus propter Ceremonias vehementer pugnet. Severius exercitium Disciplinae in Ecclesiis vestris, profectò non malè mihi placet: Utinam in Ecclesiis nostris quoq; pauló severior possit retineri!

Haec Philippus Melanthon. Quin & ipse Lutherus apud legatos dolorem confitebatur suum quòd ab ipsis Evangelij reflorescentis primordijs quosvis absq; discrimine ad Coenam Dominicam admisisset, quòdq; Disciplinam Fratrum similem, apud suos non constituisset, quae non sinit manifestis deditos peccatis, Eucharistiae esse participes. Testes horum quae bonâ fide refero, fuerunt haud pridem terris erepti, *Johannes Augusta*, Fratrum Antistes; *Erasmus Sumerfeld* à Tumice, vir nobilis; & qui mihi haec narrabat, *Georgius Israel, Episcopus octogenarius:* hi enim tum juvenes ad Lutherum à Fratribus mittebantur. Sed danda venia est tanto viro, in Pontificio dominatu infringendo, veraq; in Christum Fide fictis obscurata operibus asserenda, coeteroq; illo multiplici Antichristiano luto abstergendo, eoq; bellis extraneis sẽper occupato, negligentiús de Disciplina inter suos egisse. Quis enim solus uno & eodẽ tempore cuncta animadvertat, absolvat? aut cujus animus simul omnia exsequatur? *Non omnia possumus omnes:* nec (ut ipsimet Lutherus de servo arbitrio scribit) *uni dat cuncta Deus. Crescit, crevitq;*

vitq; semper, progreßu temporis hominum sapientia: adde, quædam deesse uni, ut ea suppleat alter. Faxit DEus ut quæ desunt Lutheri sectatoribus, ea aliquando suppleantur, si non aliunde, at saltem ab istis nostris Fratribus, Luthero cognitione veritatis antiquioribus. Etsi, qvod principiô ordinis cujusvis boni incuriâ quâdam omitti solet, id postea vel difficulter, vel frustrà, reduci tentatur.

Anno eodem trigesimo quinto, Fratrum in Bohemia & Moravia Patroni, Barones & Nobiles, assiduis improborum maledictis commoti, obtulerunt Novo Regi Ferdinando Confessionē fidei suæ, eam ob causam, ut se in eorum hominum communitatem transijsse demonstrarent, qvi omnia qvæcunq; essent veræ Ecclesiæ profiterentur, nihilq; cum sacris pugnans literis, nihil Catholicis orthodoxis contrarium, sectarentur. Quam Confessionem iterum D. Lutherus Witebergæ excudi curavit, præfatus in eam verbis illis, quibus ea quæ superioribus annis parùm amicè sparserat, emendata esse voluit. Exstat Præfatio hæc publicè, insertaq; illi hæc etiam verba: *Gratias nos agere oportet quàm maximas, Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, qvi secundùm divitias gloriæ suæ, jussit è tenebris splendescere lumen hoc Verbi sui, quô denuò in nobis destrueret mortem & illuminaret vitam: & gratulari tùm illis, tùm nobis, quòd qvi inter nos ipsosqvoq; longè fuimus, destructô nunc interstitio suspicionis, quâ nobis mutuò hæretici videbamur, facti sumus propè, & reducti simul sumus in unum Ovile, sub unum illum Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum, qvi est benedictus in secula Amen. Quod si qvæ differentiæ in hac eorum Confessione occurrent de Ritibus, & Ceremonijs, vel Cœlibatu, meminerimus nunqvam fuisse, neq; esse potuisse, omnium Ecclesiarum omnes ritus & observationes æqvales, vel easdem. Id enim non permittunt hominum, regionum, temporumq; rationes & varietates, modò salva sit doctrina fidei & morum: hæc enim debet esse eadem, ut Paulus sæpè monet,* &c. *Commendo igitur in Domino omnibus pijs & hanc Confessionem Fratrum, in qva videbunt clarè, quantâ injuriâ hactenus à Papistis fuerint damnati & vexati.* Ita Lutherus: cujus testimonium, Veritati datum, quàm ingratum fuerit Adversarijs, patuit etiam è libris Anno 1537 publicatis, *Johannis Fabri*, Episcopi Viennensis, ubi ita scribit: *Piccardi, qvi & Valdenses, à Catholicis in multis dißentiunt: erga qvos admodum variè habuit se Luterus in scriptis suis. In qvibusdam enim eos damnat, ut pessimos hæreticos; (ut puta in libro de X Præceptis, in Resolutionibus proposit: 15, & 80. in Psal, 109. in Commentario ad Galatas.) Postea verò, in reprobum sensum datus, blandissimè ad eos*

 scri-

scripsit, plenis eos, super omnes alios Christianos, laudibus extollens, & quæ priùs in eis improbaverat collaudans, & quæ ipse approbaverat reprobans.

XV.

Legatio Valdensium è Gallia, ad Fratres in Bohemiam.

His cum Luthero peractis, venerunt ex Gallia ad Fratres Boleslaviam, à Valdensibus, duo viri eruditi, eo consilio, ut in sinum illorum labores suos, calamitates, pericula, quæ ab Adversarijs magna sustinebant, & quoddam dissidium inter suos exortum, effunderent, tam lætis, quàm adversis rebus invicem afficerentur: ac ipsi id cognoscerent, quod in Patria sua inaudierant, videlicet, num quæ mutatio in ipsorum Ecclesia esset facta; & an ij Ministri, qui antea Cœlibes vivebant, uxores ducerent, &c. Valdenses hi morati sunt consultò cum Fratribus totos sex Menses, quò meliùs propria ipsorum (absit invidia dicto) pernoscerent; nimirum vitam Christi, unanimitatem, mutuam dilectionem, Pastorum de grege Domini curas, juniorum obedientiam, operas domesticas, exercitia desidiam pellentia, rebus in omnibus Ordinem, &c. Quò omni tempore ea elucebat in illis Valden-

sibus sanctimonia, isq; pietatis ardor, ut non dubitârint Fratres ex duobus capere de reliquis conjecturam. Itaq; examinatos in omnibus fidei Orthodoxæ articulis, ad sacram Synaxin admiserunt. Tandem modestissimi hospites, ingenti gaudio ex laudandis Fratrum institutis ac moribus affecti, reversi sunt ad suos, nunquam deinceps Fratribus visi. Non defuit interim domi Fratribus, quod agerent, Calixtinis eos renovato quôdam odio insectantibus, scriptisq; etiam injuriosis vexantibus: adversùs quos tutari se scriptis etiam publicis necesse habuerunt, sed verbis plerumq; adeò mollibus, ut ipse demirer, ad superandam patientiâ malitiam. Ubi tum qvidam illorum, Calixtinis sibi solis veram Ecclesiam arrogantibus, lepido usus apologo; *Erant*, inquit, *uni Vulpi aliquot fœtus; qui eâ ad pastum digressâ, in contentionem de forma venerunt. Quos Mater reversa monuit, ut id judicium Pellioni relinquerent; qui de captis, & consuendis, tale esset facturus, ut pulchriorum exuvias in antecis vestium, deformiorum in posticis, esset positurus. Haud secus* (inquiens) *Christus quoq; verâ praditos fide à dextris suis, fucatâ autem & mortuâ à sinistris, die illo novissimo collocaturus est; cui proinde nos permissa de nobis & Ecclesia judicio, quæso id quod unicuiq; nostrûm injunxit, exsequamur.* Facetè admodum, ut pleriq; apud eos senes, taliũ apologorũ pleni sunt.

XVI.

Fratrum legatio Argentinam, ad Bucerum.

QUum scripta ad Marchionem Brandenburgicum, Anno 1532, *Apologia Fratrum*, typis prodijsset anno sequenti duobus simul in locis, Tiguri in Helvetia, & Witebergæ in Saxonia; Theologi Argentinenses, inter litigantes tū de Sacramento Saxones & Helvetios qvasi medij, dederunt ad Fratres epistolam seqventem.

Fratribus in Christo dilectis, quos Valdenses vocant, & Piccardos, per Bohemiam & Moraviam Christum annuntiantibus. Gratia & pax vobis in Christo Jesu unico Redemptore nostro. Non aliter de charitate vestra persvasi sumus, dilectissimi Fratres, qvàm vos Christianâ ingenuitate, qvâ vos debitores in Christo esse omnibus agnoscitis, & divinæ in eo subserviendo voluntati, Fidei vestræ, totiusq; Ecclesiasticæ administrationis dedisse rationem, Apologia illâ rogatu Illustrissimi Principis Brandeburgici scriptâ. Tempestivè illa hoc exulcerato tempore prodijt, quo nescimus qvô Zelo (parum certè Christiano) tam cupidè in lites & jurgia ruunt, quibus præ cæteris plus ut Veritatis, ita Charitatis, esse debuit. Non ignoratis qvàm acriter à partibus (eorum qui se hinc Lutheranos, inde Zwinglianos, vocant) pugnetur de sacrosancto Corporis & Sangvinis Christi mysterio: idq; tot jam annis, non sine insigni Ecclesiæ scandalo. Quæ concertamina ut è medio tandem tolli possint, multi boni cum gemitu optant: quorum pio desiderio (nî prorsus insanire libeat) unicus ille vester libellus subservire posset, si non & ille partium studio tam miserè laceratus esset, ut mirum foret eum à vobis agnosci si, ad vos redeat. Tigurini eum tanqvam suæ causæ servientem in lucem ediderunt anno superiore, quem simul ac vidimus, approbavimus: jam autem Luterus qvoq; eundem edidit, longè ab illo diversum, quanquam sensu non adeò variatum, nisi qvod duobus non immeritò suspectis locis aliquid hinc demptū, inde additum, appareat. Cùm ergò libellus ille vester adeò sui dissimilis factus sit, & utraque dissidentium pars pro se illum alleget: arbitramur ipsam rem dictare, quid pietati Vestræ conveniat. Nempe ut idem libellus, quomodo à manu vestra exijt, ita mittatur ad nos, nostris typis bonâ fide edendus: quod non sine insigni fructu Ecclesiæ, nostræ præsertim, futurum speramus. Impetret hoc à Vobis Christiana charitas, cui vos operamini, & per quam nos oramus, charissimi fratres. Aut certè saltem nobis rescribite breviter, quanam pars scripto Vestro injuriam inferre ausa est: quoniam fieri non potest, quin altera editio depravata sit; quarum utramque en mittimus ad Vos. Gratia DEI sit vobiscum. Argentorati, Julio, 1533. Subscriptio fuit: *Wolfgangus Capito, nomine fratrum qvi hic Christum docent.*

Fratres, re deliberatâ, miſerunt exemplar caſtigatius, non Argentoratum, ſed Witebergam, ubi denuò, & nitidiùs, prodijt Anno 1534. Argentoratum verò miſerunt Anno 1540 ad Bucerum, ſcriptis & pietate, conſiliorumq́; moderatione, valde inclareſcentem, *Matthiam Erythreum* (aliâs *Czerwenka*) cum altero adoleſcente Petro, ut Eccleſiæ Argentinenſis ritus moresq́; pernoſcerent. Epiſtolæ Fratrum ad Bucerum (16 Junij die, Litomisliæ ſcriptæ, quam legi Bohemicè) iſte fuit ſenſus: *Dici vix poteſt, amantiſſime in Chriſto frater, quantam cum voluptate conſolationem perceperimus ex Tuis in quatuor Evangeliſtas lucubrationibus; Pauli Epiſtolæ ad Romanos Paraphraſi; & libello de cura Paſtoris. Miramur ſapientiam divinitùs tibi datam, ut res magni momenti, per tot ſecula ſepultæ, & tanquam aurum abditæ, de novo in apertum proferantur, prolapſaq́; Chriſti Eccleſia, hoc propter lucem cœleſtem mundo patefactæ felici ſeculo, è Prophetarum Apoſtolorumq́; ſcriptis reſtituatur. Certè nos legendo Tua haud mediocriter confirmati ſumus. Perſpeximus enim te cognitione earundem cœleſtium rerum, quas & in nobis ſpiritus Dominioperatus eſt, præditum eſſe: ac videre nobis videmur, monumentis Tuis noſtræ Eccleſiæ doctrinam, quam ab annis propè centum, eodem Magiſtro percepimus, lucucentiùs illuſtrari: ut etiam mentes noſtræ ex Tuorum ſcriptorum lectione majori divinæ voluntatis*

notitiâ indies impleantur &c. *Verùm cùm ignoremus, num quando noſtra legeris, mittimus tibi librum Fidei noſtræ Viteberge publicatum: quó perlectô cognoſcere poteris, an & nos eôdem in rebus, in quibus ſalus hominum vertitur, ducamur ſpiritu, qvi in Tuis, aliorumq́; Tui ſimilium, elucet ſcriptis. Ut autem Tuam hoc de libro feras ſententiam, & nobiſcum Chriſtianam colas ſocietatē, Te etiam atq́; etiam per Charitatem Chriſtianam oramus.* &c. Ubi ad colloquium ventum eſt, præſentibus alijs aliqvot Theologis: *Vos verò*, inquit Bucerus, *magnis Dei dotibus ornati eſtis. Nam in Eccleſia veſtra viget Pacis vinculum Charitas, Diſciplina, & Communio: quæ tria ubi deſunt, ibi Chriſtus non poteſt utiliter prædicari. At apud nos permulti jugum Antichriſti excuſſerunt, qui tamen jugum Chriſti ſubire recuſant: quin hujus loco libertatem Chriſtianam in licentiā carnis vertunt: & facto ex Chriſto altero Moſe, Sacrificijs peccata delente, luxum vitæ, proh dolor, ſeqvuntur. Trahe nos poſt te Domine! nam multùm adhuc abſumus à ſcopo*; Tum Erythreus: *Si nulla apud nos, vel ſaltem ſolutior, Diſciplina foret, frequētiſſimos haberemus cœtus. Sed nemini inter nos fas eſt, præter Unitatis conſtituta normam quidquam agere.* Bucerus: *Diſciplina Eccleſiaſtica thronus eſt regnantis in Eccleſia Chriſti. Crebrænè ſunt apud Vos Synodi!* Erythreus: *Quotannis ferè habentur: in quibus communi conſilio cōſtituitur, ne quis agat,*

 dicat,

dicatvè quidquam, secùs quàm Ordo Ecclesiæ patitur. Attamen licet aliquid contra dicere, modò ne is qui hoc facit, monitis melioribus refragetur. Tum Bucerus, his quoq; collaudatis; *Suntne inter Vos fanatici spiritûs Anabaptistæ?* Erythreus: Minimè: non desunt tamen alij qui turbent. Etiam domestici quidam Wittembergâ reversi, *Unitatem nostram ita sunt conati corrigere, ut eam, de qua audis Disciplinam tollerent: idq; sub prætextu Evangelicæ libertatis.* Buc. *Si verè diligeremus Deum, ac nos ei prorsùs addiceremus, nequaquam tam laudatæ rei repugnaremus. Num inter Vos inveniuntur Ministri Ecclesiæ maritati?* Eryth. *Perpauci: Ab exordio quidem Unitatis plures erant, sed postquam ea, persecutionum procellis exagitata, exilia perferre, seq; in sylvis & montibus, metu inimicorum, abdere necesse habuit, visus est illis, Apostoli consilio, Cœlibatus commodior.* Buc. *Rectè*, inquit; *ac mirari licet copiam donorum Spiritûs S. in Majoribus vestris, qui posthabitis rebus omnibus, nullis se adversis usq; adhuc deduci passi sunt à Veritate, sicuti nec ab illa semel sanctè initâ animorum Unitate. Multáne ij linguâ patriâ scripsêre?* Erythreus: *Permulta.* Bucerus: *Quàm vellem ea cognoscere, Estne Vobis linguæ Latinæ studium?* Erythreus: *Jam juventus nostra, multò quàm antehac cupidiùs, huic linguæ incumbit.* Bucerus: *Rectissimè, est enim ea admodum necessaria, minùs cæteræ. Quin & vos*

& vos vestrâ Slavonicâ, cujus magnus est in Europæ atq; in ipsa Moscovia usus, pluribus gentibus quàm nos Germani, utiles esse potestis. Erythreus: *Tu verò ne oratione nostra parùm politâ offendare.* Bucerus: *Pietas spectanda est in Christiano, non sermonis elegantia; pietatem vitæ, non splendorem orationis Deum remunerari solere, scribit Apostolus. Divinum est autem planè id opus, quòd non admodum eruditi Ecclesiam tam benè moratam habeatis. Nos autem, & si eruditiores esse videamur, tamē quia Disciplinam negligimus, parùm proficimus. Quare de constituenda omni modo cogitamus.* Quærente eodem de officijs Adolescentum, Seniorū curis, & Ministrorum ordinibus: aliisq; (quæ nos libro Octavo recensebimus) respondit sic ad omnia Matthias, ut optimus ille Bucerus lacrymas non tenuerit, adassidentesq; Theologos conversus dixerit; *Hæc verò est cœlestis potiùs, quàm Ecclesiastica in terris, hierarchia.* Tandem rogatus, ut aliquid rescriberet, quod Fratribus utilitatem adferret: *Quid*, inquit, *ad eos scriberem qui in opere Domini benè pergunt? quid divinitùs edoctos ego docerem?* Attamen quidpiam, regerit Matthias, vel saltē quod ipsis cōsolationi foret &c. Quibus peractis ad Hagenensia Comitia profectus est, æquè se Fratrum ac suæ causæ apud Ferdinandum Regem qui pro Fratre Carolo, propter negotium Religionis, ibi erat, Patronum futurum recipiens:

quòd

quòd tam suorum, quàm Fratrum idem esset Evangelium, licet Disciplina diversa. *Caspar* quoque *Hedio* se in retexendis suis Paralipomenis, quæ Chronicis Abbatis Urspergensis addiderat, veriora de Fratribus scripturum, quàm id priùs fecerat (Slechtæ ad Erasmum secutus Epistolam) pollicitus est.

Legati Fratrum quadraginta duobus diebus cum Bucero amicissimè consumptis, rebus necessarijs benè perceptis, consideratisq́; , domum repetierunt: è quorum schedis Bohemicis ista excerpsimus. In literis Buceri ad Fratres hæc leguntur, inter alia. *Magno nobis, charissimi Fratres, fuit solatio, Epistola vestra, nec munusculum librarium minus gratum. Ex quo percepimus, quemadmodum nos utrosq́; Deus conjunxit concordi de rebus sacris sententiâ. Id tantùm discriminis est, quòd apud nos, ubi Verbum Domini in agro Papistico, multis sentibus obducto, seminandum erat, nec ulla Disciplina morum ferri poterat, nondum sit ea vis Christi spiritûs, quâ ordo & animadversio Christiana conservari solet. Quibus malis dum insudamus evellendis, ecce tibi aliæ, Anabaptisticæ, spinæ, & adversùs veritatem variæ conspirationes! quibus Tritici incrementum nō mediocriter impeditum est. Multi nostrûm nulli in Papatu disciplinæ assveti, nihil aliud qvàm jugum, Papale excutiunt, nec tamen Christi suscipiunt. Atverò id semper conservet omnipotens*

potens DEUS, qvod in vos semel contulit, nosq́; vestro excitet exemplo! Vos enim tantùm hoc tempore in Mundo esse mihi persvadeo, apud qvos solos viget, cum syncera doctrina, pura, utilis, salutarisq́; Disciplina. Perlegi Confessionem mihi missam, haud parvo perfusus gaudio, visâ apud vos tantâ luce Veri, taliq́; rerum Ordine, ac puritate. Certè magna exstitit Dei erga vos liberalitas, qvod adeò puram doctrinam, & ejusmodi sectatores ejus habeatis, qvi id diligenter curant, ut Disciplina quasi postliminio in Ecclesiam reducatur. Nos certè haud mediocriter nostri pudet, quoties nostram Ecclesiam cum hac tali vestra comparamus. Lubenti hoc etiam animo ex Mathia vestro audivi, præcipuos inter vos Ministros cœlibes esse: ut eô melius Domino adhæreant suaq́; munia majore obeant diligentiâ & pietate. Verùmtamen Vos oro, ne quis tanti Cœlibatum faciat, ut eū vel sibi ipse, Deo negante, vindicet, vel alijs invitis injungat. Dici enim vix potest, quantum satan Ecclesiis nocuerit, Apostolorum Martyrumq́; seculo, nimio Virginitatis cultu. Sed ego grates Deo ago, quòd nihil simile apud vos esse audiam, de qvo olim conquesti sunt tàm Cyprianus, qvàm alij. Quamobrem Communionem vobiscum inimus, qvæ non solùm in Catholica fide, & eodem qvô antè consistat spiritu, sed ut etiam consolationibus, admonitionibusq́; mutuis, ea subinde in posterum renovetur, atq́; confirmetur. Hæc Bucerus, qvi fatalem diem obijt

27 Februarij 1551. in Anglia, qvo cum Fagio, ad disseminandum Evangelium, ab Edvardo Regio, accersitus erat. Haud dissimilia his ad Johannem Augustam, Antistitem Fratrum, scripsère, Doctor Fabricius Capito, & Johannes Calvinus, Ecclesiæ tum Gallicæ ibidem exulantis Pastor. Illius epistolæ pars hæc est: *Gratus nobis fuit liber fidei nostræ, qvi ordinem Ecclesiæ continet, qvô ego nihil vidi nostro seculo absolutius: nimirùm quia cum solida fidei Confessione, veroq; Sacramentorũ usu, sanctam Disciplinam, & vigilantem Pastorũ curam, spirat.* Calvini verò epistola exstat in Epistolarum ejus volumine: cujus hoc est fragmentum. *Ecclesiis Vestris ex animo gratulor, quibus præter sinceriorẽ doctrinam, tot egregia bona contulit Dominus. Neq; n. parvo æstimandum est, quòd tales habent Pastores, à quibus regantur & ordinentur; quòd adeò bene moratæ sunt; quòd adeò præclarâ formâ constitutæ; quòd optimâ Disciplinâ præditæ, quã jure vocare possumus optimũ atque adeò unicũ retinẽdæ obedientiæ vinculũ. Nos n. magnâ nostrâ molestiâ experimur qvid valeat, dũ eam desideramus, nec ullâ ratione possumus ad eam pervenire. Hæc res facit, ut sæpè animo vacillem, ac minùs strenuè functionem meã exseqvar. Quinetiã desperarẽ prorsùs, nisi succurreret, Ecclesiæ ædificationẽ semper esse opus Domini, quod ipse virtute suâ prosperabit, etiamsi nos adminicula omnia deficiant. Est tamen hoc magnum rarumq; bonum, adjuvari tam necessario præsidio. Imò, Ecclesias nostras tum demum ritè suffultas arbitrabor, ubi isto nervo colligatæ fuerint,* &c.

XVII.

Ultimum Fratrum cum Luthero colloquium.

ANNO 1542 *Johannes Augusta*, Fratrum Senior, Lutheri amantissimus, cum *Georgio Israele* Ministro, ac *Joachimo Prostiborio* viro nobili, & aliquot alijs comitibus, profecti Witebergam visitârunt Lutherum, renovandæ cum eo sanctæ amicitiæ gratiâ: & conferendi de Disciplina; quam in Ecclesias Evangelicas introduci posse Argentinenses Theologi tam ferventer desiderium prodiderant suum. Questi ergò fuerunt Fratres, in illis per Bohemiam & Moraviam Ecclesijs, quæ paulatim ab Hussitismo transirent ad Lutheranismum, doctrinam quidem Evangelij recipi, vitam tamen profanam nihil remittere. Eamq; rem Fratrum Ecclesijs adferre cladem, cùm licentiosi, haberi posse etiam absq; Disciplinæ jugo Evangelium, prætendentes, eò confugiant: *An ergò tantum Evangelij abusum tolerandũ putent?* Ad quæ Lutherus, post auctas de malitia & perversitate Mundi, gratiã Dei & omnia semper in abusum rapientis querelas, respondit: *Non*

Non aliter destrui potuisse Papatum, qvàm disjectis qvæcunqve humanam redolerent constitutionem, & conscientijs inferrent vim. *Cæterùm qvum videat stultum in contraria ruere mundum*, agnoscere, necessariò esse obsistendũ, reparandãq; *Disciplinam. Qua de re cogitandum fore, simul ac respirare dabitur à difficultatibus, etiam qvas denuò Pontifex objicit novâ Concilij spe*, &c. Addebant Fratres: *Non posse se rebus illorum benè ominari* (quod idem jam Anno 1523 scripserant quoq; ad Lutherum) *quam diu per illorum Scholas & Academias tantam scientiæ, tantillamq; conscientiæ, videant suscipi curam: rogantes ut de obviam eundo periculis, qvæ cà parte irruere, & Ecclesiam obruere, possint, seriò cogitare libeat.* &c, &c. Cùm verò post familiarissimam cum Luthero, cæterisq; Theologis, per duas circiter septimanas conversationem, deque omnibus mutuam collationem, Witebergâ discessuri erant, excepit eos Lutherus convivio, atq; in præsentia multorum illius Academiæ Professorum, abeuntibus ultimum dicens vale, dexteram sanctæ societatis dedit toti Fratrum Unitati, hæc verba proferens: *Estote vos Apostoli Bohemorum, ego cum meis erimus Apostoli Germanorum. Agite vos ibi opus Christi, prout ise occasiones dabunt vobis: nos itidem agemus qvomodo se hìc dabunt nobis.* Aliqvot autem mensibus pòst dedit ad eundem Seniorem Fratrum epistolam,

pistolam, in qva hæc verba leguntur: *Moneo vos, ut nobiscum ad extremum usq; perduretis, in communione spiritûs & doctrinæ, pro ut cœpistis, ac pugnate unà nobiscum, verbo & precibus, contra portas inferorum, qvæ indesinenter oppugnant veram Ecclesiam Dei, & caput hujus Christum: qvi licet aliquando viribus satanæ impar esse videatur, tamen virtus ejus in imbecillitate nostra perficitur, sapientia ejus in stultitia nostra celebratur, & bonitas in iniquitatibus & peccatis nostris fit gloriosa, secundùm mirabiles & incomprehensibiles vias ejus*, &c. Triennio pòst, & mensibus qvatuor, migravit ad Dominum D. Lutherus: cujus mortem seqvuta sunt, (inqvit Bucholcerus) *bella, Theologica & Civilia Evangelicorum inter se.* Id qvod futurum aliqvando, propter non stabilitum Ordinem, Unitatis & Concordiæ vinculum, metus erat Fratribus. Non abs re duxi adijcere hìc, & inserere, Testimonia de Fratribus, qvæ nostri Poloni ex ore Lutheri & Philippi audita, commemorare deinde solebant alijs. *Albertus Marszevius*, vir nobilis, magnæque authoritatis, cùm Witebergæ Anno 1539 Lutherum audiret, in publica lectione excœpit hæc verba: *Non surrexerunt à temporibus Apostolorum homines, quorum Ecclesia propiùs accessisset ad doctrinam & ritus Apostolicos, atq; Fratres Bohemi. Matthias Poleij*, qvi aliquandiu vixerat in Bohemia, sed inde se transferens in Poloniam,

Ephorum egit duorum Comitum à Gorkə, postea'q; Consiliarium eorundem Posnaniæ, circa Annum Domini 1540 Wittebergæ quæsivit ex D. Lutero, quid sentiendum sit de Fratribus per Bohemiam & Moraviam dispersis, qvi vulgò Valdenses vocantur? Respondit Lutherus: *Etsi Fratres hi nos puritate doctrinæ non superant, quia à nobis omnes Articuli fidei syncerè & purè è Verbo Dei proponuntur, ordinariâ tamen Disciplinâ Ecclesiæ, quâ utuntur, suasq; fœliciter gubernant Ecclesias, longè nos superant, & in hac parte majorem laudem habent: quam illis concedere nos propter gloriam Dei, & veritatem, oportet. Quia plebs nostra Germanica illud jugum Disciplinæ non vult subire adhuc. Quapropter qvicunq; Evangelio, & nostræ Confeßioni Augustanæ addicti estis, tutò & piè Ministerio, tam Verbi qvàm Sacramentorum, apud Fratres uti potestis.* Idem Mathias Polej Anno 1548 Witebergæ, in Convivio D. Lucæ à Gorka (postea Palatini Posnaniensis) præsente ibidem Andreâ Lupsinio, & aliqvot ex Nobilitate Polonica, assidentibusq; mensæ præcipuis Professoribus, qvæsivit ex Philippo Melanthone: *Domine Præceptor, rogo quid sentiendum est de istis hominibus, qvi nunc pelluntur ex Bohemia propter Religionem, Valdenses vocati?* Respondit Philippus: *Isti sunt nostri Fratres, pij homines, & veri Christiani, qvi propter veram fidem fortibus animis sustinent*

nent persequutiones, meritô ab omnibus Deum timentibus chari habendi, &c. &c.

XVIII.

E LIBRO QVINTO.

ANTONII BODENSTEINII

De Fratribus Bohemiâ pulsis testimonium.

QVum post superatos bello Smalcaldico Protestantes, & captos Principes, mundatasq; calamitatibus Evangelicas per Germaniam Ecclesias, & pulsos à Ferdinando Bohemorum Rege Bohemiâ Lutheranos Pastores, Fratrum qvoq; aliqvi (propter consiliorum, uti suspicabantur adversarij, complicitatem) captivati, alij verò proscripti, & in Poloniam delati, indeq; in Prussiam recepti, essent: scripsit *Antonius Bodenstein*, Pastor Gvizinensis ad D. Brentium, tum Basiliæ qvoq; exulantem, epistolam hanc.

S. D. *Cùm mihi hi tres juvenes, Fratres Bohemi (erant studiosi Theologiæ, Johannes Rokita, Joh. Blahoslaus, & Simeon Felinus) indicarent consilium suum, de profectione in Helvetiam: & ex animo peterent*

terent humanitati Tuæ commendari per Reverendiss. Episcopum meum Pomezaniensem, D. Paulum Speratum; & me qvoq;, qvi tum forte aderam, & in mensa Episcopi virtutum tuarum præstantiam, qvantum mihi constabat prædicarem, &c. visum est hâc occasione gratitudinem mentis meæ erga te ostendere, ac Fratres Bohemos charitati tuæ commendare.

Sunt juvenes isti è numero Fratrum illorum, qvos expulit ante annum Boëmia patria, & exules recepit nostra Prussia, nobiscum in doctrina & confessione conjunctorum, qvorum Confessio edita est Wittebergæ, & commendata judicio ac testimonio D. Lutheri piæ memoriæ, patris ac præceptoris nostri reverendi. Puto qvòd Confessionem illam Fratrum viderit, atq; legerit aliqvando, humanitas Tua. Et confessio oretenus facta Regiomonti, coram Examinatoribus Illustrissimi Principis, antequam reciperetur in has terras adventitius Böemorum populus, & sedes figeret, consentit omninò cum scripta; ita ut bene nobis constet de doctrinæ genere, & reliqvis omnibus qvæ inter Fratres geruntur & fiunt. Præterqvàm qvòd habent doctrinam consentientem cum nostra, habent & peculiaria quædam, quæ apud nos haud cum exiguo conscientiæ discrimine desiderantur: adeò vigilantem curam animarum, ut nihil absolutius unqvam viderim; pulcherrima exercitia pietatis & pœnitentiæ, tam domestica qvàm ec-

clesiastica; honestatem morum externam; justitiam, verum usum jejuniorum, vigiliarum, laboris, precum; fraternas admonitiones, propria judicia, censuram Ecclesiasticam, &c. &c. ita ut meritò omnibus sint admirationi, nec sciam an meliores homines Prussia recipere unqvam possit. M. Bucerus, vir magni judicij, & de Ecclesijs nostris bene meritus, non veretur eos in suis opusculis omnibus Ecclesijs in toto orbe Christianorum præferre, & hoc eis tribuere, qvod nullis alijs: incorruptam scil. doctrinam, & simul veram disciplinam: & omnibus pijs commendare, ac in exemplum, qvod imitentur, proponere. Idem faciunt & fecerunt alij summi viri, Lutherus, Capito, Calvinus. Et, si qvæ exstant Ecclesiæ, in qvibus reperiri liceat censuram & gravitatem Apostolicorum Virorum, & omnia composita ad exemplum sanctissimorum Martyrum, certè hæ erunt Fratrum Ecclesiolæ. Est discretio auditorum certa & cauta, piorum à profanis; accedentium ad Ecclesiam gravissima instructio & exploratio; vigilantissima susceptorum cura & inspectio; exercitia varia, qvibus augeatur & conservetur pietas; obedientia populi in omnibus spontanea; & mirabilis omnium inter sese consensus, & verè, qvod loqvitur Scriptura de Apostolico tempore, cor unum. Eadem leguntur apud Dionysium de ordine purgandorum; Cyprianum, Augustinum de catechizandis rudibus, & similia lumina superiorum temporum. Ac judico populum

tam sanctum in hæc loca divinitùs missum, cujus exemplis excitarentur alij, ut cogitarent rectiùs de multorum nævorum, qui hærent in nostris Ecclesijs, correctione, & verorum exercitiorum constitutione. Nam quantò dolore, quæso, hæremus in officio, omnium ita perturbato ordine in Ecclesia? ubi nemo rectè suum officium facit, in tanta morum dissolutione & contumacia, ubi indignissimis etiam, tantùm ex officio, aut propter stipem, sacra ingerenda sunt. Res est tristissima, Evangelium Dei tantum annunciare in testimonium Mundo (quanquam & semper suos habet Dominus, quos ipse novit) ubi nulla est promiscui populi discretio, aut piorum impedita gubernatio. Habent quidem & suas infirmitates Fratres illi, & excessu fortassis peccant, aut rigiditate & severitate ut in doctrina Cœlibatûs, & aliarum quarundam observationum: sed quas rectè admoniti facilè agnoscunt, & de emendatione aut mitigatione cogitant. Nihil est in humanis ex omni parte beatum, nec quicquam tam piè & cautè constitui potest in Ecclesia, quin id deflectere & pervertere tentet Satan. Videmus quàm facilè imposuerit sanctissimis Viris illis, Doctoribus, Confessoribus, Martyribus in primitiva Ecclesia, admiratione vitæ cælibis, & similium observationum. Meritò igitur & his Fratribus aliquid condonemus, ut piè fecit Lutherus, & eis salutaribus consilijs & veris rationibus simus auctores emendationis. Igitur hos tres juvenes charitati

ritati

ritati Tuæ summoperè commendo, qui soles bonis prodesse: & siquis est locus precibus meis apud Te, anxiè oro, ut eorum studia atq; pietatem juvare velis & promovere, quantum in Te est, ut sentiant literas Reverendissimi mei Episcopi, & meas qualescunq;, sibi haud parum profuisse. Hoc Tibi devinxeris omnes Fratres, è quorum numero juvenes isti sunt, & bene mereberis de singulis eorum Ecclesijs, quibus aliquando præficiendi sunt. Vale diu clarissime Vir, quem Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, in his turbulentissimis temporibus incolumem & salvum Ecclesiæ suæ conservet. 15. Septembr. ex insula Mariana, Anno 1549.

ANTONIUS BODENSTEIN
Wittebergensis, humanitati
Tuæ olim notus.

SImile fuit ipsius Episcopi, prædictos adolescentes Academiæ Basiliensis Rectori, Osvaldo Bero, commendantis testimonium. Hic autem biennio pòst, per eosdem revocatos, & ad suos redeuntes, ita rescripsit: *Juvenes à Te nobis commendati, amplissime Præsul, propter præcipuam pietatem, morum honestatem, & doctrinam, grati nobis fuerunt; adeò ut semper precemur Deum Patrem, ut tales multos in Ecclesia sua, quales hi sunt, excitare velit. Nam præter ardens in optimas quasq; artes studium, etiam majo-*

rum

rum suorum in Evangelij professione constantiam, & disciplinæ Ecclesiasticæ severitatem, referunt: quæ duo Dei munera cœlestia in Bohemis Fratribus ita suspicimus, ut miremur quomodo in tam profundis tenebris, quas filius ille perditus in loco sancto effudit, tam claram Christi notitiam, & tam severam veræ Religionis disciplinam, tueri potuerint; quam nos hodiè, in qua versamur luce, vix tentare audemus, tantùm abest ut speremus, eam nos consecuturos.

Bodensteinius verò Thorunium brevì pòst ad propagandum Evangelium (cujus semina ibi sparserant Fratres, & collegerant Ecclesiolam) vocatus, ut in Fratrum societatem reciperetur qvæsivit. Qvod ut sibi negari videret (responsum n. fuit, *societatem cum Luthero semel initam omnes utrinq; complecti*, novo aliqvorum huc aut illuc transitu opus non esse, ne schisma denuò fundare videamur) rescripsit uni Fratrum his verbis: *Mihi in votis nihil magis fuisse, qvàm ut verè possim esse membrum Ecclesiæ Fratrum, Deum testem facio, qui corda novit hominum & judicat. Quod scio non esse deficere à nostris Ecclesijs, aut doctrina divinitùs patefacta hoc postremo tempore; sed tantùm ab horrenda confusione Ministerij in eis, quâ adhuc impeditum & oppressum jacet. Confusionem eam & oppressionem puto agnoscere omnes pios, & deplorare hanc sortem Ecclesiæ. Si qua desideravi, aut argui liberiùs in Fratrum regimine seu obligationibus, tantùm ideò factum fateor, quòd judicavi conscientijs libertatem necessariam esse, non carni. Deinde humilibus gratiam dat Dominus, non affectantibus aliquid præter vocationem: & fidelitas in omni vocatione probatur illi. Cætera relinquo consilio & arbitrio Fratrum de me statuendi, quibus me totum commendatissimum esse & opto, & humiliter peto,* 19. Julij.

ANTONIUS BODENSTEIN,
propriâ manu.

XIX.
Theologorum Helveticorum de Fratribus testimonia.

COepit interim sementis Evangelij, per majorem qvoq; Poloniam à Fratribus facta, non radicari tantùm, sed & fruticare adeò, ut minoris etiam Poloniæ Proceres & Ministri Evangelici horum inciperent uti consilijs, & ambire conjunctionem. Sed qvæ res cùm non satis placeret istorum Diotrephi, Lysmanino, occultè jam tum Arianizanti, facta est provocatio ad Theologos Tigurinos, & Genevenses, aliosque istorum locorum. Unde cùm responsa redijssent, conjunctio processit: collaudarunt n. propositum omnes, Disciplinæ potissimùm causa. Addamus è qvorundam epistolis particellas qvasdam.

Calvinus

Calvinus ita scripsit. *De vestro cum Valdensibus consensu optima qvæq; spero. Non modò quia sanctam Unitatem, in qvam coalescunt Christi membra, Deus semper benedicere solitus est: sed qvòd inter hæc rudimenta vestra Fratrum Valdensium peritiam, qvam longo usu Dominus exercuit, non vulgari adjumento vobis fore spero. Qvare sedulò à vobis omnibus danda opera est, ut hæc pia conspiratio magis ac magis sanciatur.* Sic ille. *Wolfgangus* autem *Musculus*, Bernensium Theologus, ita: *Exosculamur cumprimis admirabile illud consilium Dei, qvòd ante annos aliqvot Fratres, qvos Waldenses vocant, Boëmiâ ejectos, ad vos, vel ad confinia saltem Regni Poloniæ, transferre voluit: qvò vestris Ecclesiis, in cognitione ac propagatione veritatis, adjumento essent. Non erat hoc in animis eorum, qvorum studiô sedibus suis sunt expulsi; imò nec ipsi puto, qvid divinitùs ageretur, intellexerunt. Verùm qvi prudentes hujus Mundi, in suis ipsorum consiliis, miris modis infatuat, & excæcat, hoc pacto voluit primordiis renascentis apud vos Ecclesiæ haud parum adferre adjumenti. Plurimùm autem placet, qvòd in eam doctrinæ formam consensistis, qvam illi puram, simplicem, ac minùs scrupulosam, in suis Ecclesiis retinent. Si qvidem ea est, qvam primùm Tiguri, deinde Vitebergæ iterum atq; iterum impressam vidimus.* Et paulò post: *Gratulor hoc consilium Ecclesiis vestris, qvòd cum Waldensibus conjungi*

jungi voluistis. Spero enim fore, ut minus inter vos dissensionum nascatur, atq; si quid nascatur, citiùs componi possit &c. qvandoqvidem ad certam post hæc doctrinæ formam docendo collimare potestis. Rursus idem ita: *Existimo prudenter à vobis esse factum, qvòd eam doctrinæ formam amplexi estis, qvæ sic est simplex, & sacris literis attemperata, ut, qvemadmodum memini, etiam dissidentibus inter se Ecclesiis digna visa sit, qvam typis excudendam traderent, inq; Germania nostra spargerent.* Hæc Musculus, qui & aliis literis gratulatus, Polonis hanc cum Fratribus conjunctionem, ita eos monuit: *Vehementer necessarium erit, ut omnes inter Vos valvas, & fenestras, curiosis illis qvæstionibus præcludatis, qvæ nonnisi ad destructionem operis Domini, instinctu satanæ, excitantur; qvas meliùs est contempsisse. Neve detis locum illis, qvi ingenii sui acumen, vel in divina, vel in humana Christi Servatoris nostri natura, exercere & ostentare volunt; nec idiomatum communicationem admittunt, aut servare in Christo naturarum discrimina volunt. Vigilate, & astutias Satanæ irremissâ diligentiâ observate, atq; si qvid malorum exortum erit, maturè occurrite. Si concordiam inter vos illæsam servaveritis, frustranei futuri sunt omnes conatus Antichristi, se contra vos armantis, &c. Cavete ne quis aliud inter vos docere, ac doctrinæ consensum, qvi est secundùm syncerum ac certum Dei*

Verbum

Verbum, indiſſidia, offendiculis plena, pervertere præſumat. Si cui accuratiùs qvædam cognoſcenda videbuntur, ſervent hanc in domo Dei modeſtiam, ut nihil illorum mox ad aures Eccleſiæ deferatur: ſed cum ſymmyſtis amanter conferat. Nunqvam ſatis expendimus, qvàm verum ſit qvod Apoſtolus dicit, Scientia inflat, Charitas ædificat. *Qvid autem damni in Eccleſijs Chriſti* ſcientia inflans *intulerit, & hodie quoq; inferat, ſole clarius eſt, & deplorandum magis qvàm recenſendum. Vos qvi tam ſerò ad Evangelium Chriſti acceditis, diu ſatis ſpectatores eorum fuiſtis, qvæ egimus in hac cauſa, alij ſyncero qvidem animo, ſed non ſatis prudenter; alij inſincerè, & aſtutè; rurſus alij frigidè, & ſecuriùs qvàm conveniebat, & junctâ noſtro ipſorum vitio malitiâ Satanæ, varia diſcrimina pertulimus. Qvare ſi poſt noſtra exempla, perinde atq; nos, impegeritis (N. B.) minus excuſationis habebitis.* Petrus etiam Martyr, Argentinenſis tum Theologus; *Date* (inqvit) *operam Fratres, ut Veritatem Dei, qvam vobis dignatus eſt patefacere, cum innocentia Vitæ conjungatis. Alioqvi nihil proderit, ſi qvis eam vitâ negaverit. Videndum, ne Lux noſtra ſit absq; calore, Folia ſine fructibus, Nubes ſine aqva! Agat Fides in cordibus veſtris altiſſimas radices, qvô magis frugifera ſit, nec in inſtaurando Templo Chriſti moras nectatis. Hoc enim agit Diabolus, ne qvod agendum eſt, citò fiat: modò fingit*

fingit expectandum eſſe Concilium: nunc fabulatur Comitiorum auctoritatem, & Principum virorum conſenſum interponendum. At vos ſatagite domum Dei ab Antichriſto contaminatam, & prope funditùs everſam, inſtaurare, &c. &c. &c. Conſulo præterea, ut Diſciplina, quatenus fieri potuerit, in veſtris Eccleſiis omninò invehatur. Nam ſi ab initio non recipietur, cùm homines Evangelij cupiditate fervent, non facilè poſtea, cùm, ut fit, aliquod frigus obrepſerit, admittetur. Ut verò fruſtra absq; illa laboretur, Eccleſiæ quàm plurimæ vobis poſſunt eſſe exemplo: qvæ à ſuæ inſtaurationis fundamentis, cùm hoc tam ſalutare jugum ſubire noluerũt, nunqvam deinde, quoad Mores & Vitam, juſtâ ullâ regulâ potuerunt in ordinem redigi: quô fit, quod magno cum dolore dico, ut omnia propemodum parùm firma ſint, & undiq; ruinam minentur. Eſt igitur grave damnum, & certa Eccleſiarum pernicies, ſi nervus Diſciplinæ illis defuerit: neque verè ſolideq; habere ac profiteri Evangelium illæ dicendæ ſunt, qvæ Diſciplinâ vel carent, vel illam contemnunt, nullóve ſtudio ejus tenentur. Certè in Evangelijs, & Apoſtolicis Epiſtolis, cùm tantâ diligentiâ tradatur, illam oportet fateri non minimam Chriſtianæ Religionis eſſe partem. Ex qvo fit, ut Evangelium ab ijs videatur negligi, qvi tam præclaram ejus portionem à ſe ipſis ablegârunt. Ad conſervandam verò Eccleſiam Scholas Theologicas inſtituere oportebit, qvæ vivaria

ria quædam, & seminaria, sint Ecclesiæ. In quibus vitentur quæstiones supervacaneæ, & ut Paulus ad Titum dixit, inutiles & vanæ.

XX.

Polonorum, & Vergerij, de Fratribus testimonia.

ANNO 1557, Proceres majoris Poloniæ, *Johannes Crotoscius, Palatinus Inowraslaviensis, Jacobus Ostrorogus, Johannes Tomicius, Raphael Lescinius, & Albertus Marszevius*, celebri Fratrum famâ concitati, iter ad illos in Moraviam, Synodum Slezanij celebraturos, susceperunt. Ad quos cùm circiter festum Bartholomæi læti venissent, ampliora majoraq; omnia ijs dictis, quæ de ipsis vulgò ferebantur, comperisse, vidisseque, me audiente, ingenuè fatebantur: simul & devera hospitalitate, germanitate, ac singulari eorum pietate, multa palam referebant. Creabantur tum ibi (in pago Sleziany) Ministri Evangelij, Seniores & Conseniores: ac erat omnis cleri numerus major ducentis capitibus, cum Patronorum suorum non nulla parte (inter quos eminebant, Fridericus de Zerotin, Fridericus de Nachod, Benedictus Prazma de Bilkow, Petrus de Czertorey &c. Ubi nostrates fœlicitati illorum congratulati, arctiorem Religionis societatem ita

ita cum ipsis inierunt, ut eam ad ultimum spiritum conservârint, & infundis suis propagârint omnes.

Eodem anno curavit edi in publicum, Tubingæ, Fratrum Confessionem Paulus Vergerius Italus, quondam Episcopus Justinopolitanus, & Pontificis Rom. in Germania Legatus: qvi agnitâ Evangelij veritate, exilium pro ea passus, & apud Wirtebergesem Ducem hospitium nactus, fuit. Ita verò Vergerius de Fratribus, in Præfatione Confessionis, *Quâ ratione quóve consilio ductus, hanc ego Waldensium, aut Picardorum (quos vocant) Christianæ Religionis Confessionem non ita multis hactenus cognitam ediderim, inprimis dicendum mihi esse puto. Cùm Deus me nuper ex Germania in Prussiam, in Lithvaniam, atq; Poloniam evocasset, multas ac varias variarum gentium Ecclesias visendi discendiq; studio incensum: tandem diu multumq; in illa ipsa Polonia obeqvitando, atq; lustrando,* in Ecclesias incidi circiter qvadraginta, ad Waldensium morem præscriptaq; institutas. *Qvæ ipsæ me sanè singulari qvâdam voluptate lætitiaq; affecerunt. Etenim pura in illis ac concors sonat Evangelii vox: adeò id qvidem, ut neqve in doctrina, neqve inter docentes, erroris aut controversiæ qvicqvam, non dico animadvertere, sed ne suspicari qvidem, potuerim. Ceremoniæ castissimæ atq; purissimæ, à Papisticis istis superstitionibus, gesticulationi*

tionibusq; ut alienæ, sic prorsus remotæ, ut ne odor qvidem illarum, aut vestigium ullum, reliqvum sit. Disciplina gravis atq; severa, ex qva vitæ renovatio atq; redintegratio tales fructus fert, ut radicem horum minimè fucatam, sed verissimam, ac Christiano homine dignissimam facilè agnoscas, pœnitentiam. Hæc cùm partim ad Fratres in Italiam, aliarumq; nationum, scripsissem, partim nonnulla Illustrissimis Principibus Germaniæ, aliisq; summis in ea viris ingenti exultatione coràm nunciassem, alij in universum ignorare Waldenses, alij vehementer mihi mirari visi sunt, qvid tandem in mentem venerit Sarmatis, ut Waldensium præcipuè Confessionem admiserint: veriti nimirum, ne puram ac sacram Christi doctrinam, qvam nuper adeò recepissent, illorum placitis inficerent, atq; commacularent. Hanc igitur ob causam, gravißimam qvidem illam, omni studio mihi faciendum putavi, ut Waldensium Confessio, qvæ jam erat difficilis inventu, recuderetur, atq; invulgaretur: qvòd minimè dubitarem, qvin omnes qvibuscunq; purior doctrina cordi foret, vel ex primo (qvod dicitur) gustu, non Confeßionem modò, sed Polonos etiam ipsos, aliosq; qvicunq; eam in suam Ecclesiam recepissent, magnis celebraturi laudibus essent: ac deniq; patrem cœlestem rogaturi, ut tam bene cœptas apud illos Ecclesiarum instaurationes servare, ac suâ immensa bonitate augere, indiesq; magis fortunare, dignetur. Præter verò Martini Luthe-

ri, Reverendißimi atq; sanctißimi viri testimonium, qvi hanc Waldensium rationem Ecclesiasticam approbavit atq; commendavit, subjicienda non immeritò putavi aliorum qvoq;, maximâ eruditione, maximâ pietate atq; autoritate virorum testimonia, inprimis Philippi Melanthonis, Martini Buceri, & Wolfgangi Musculi, qvi mihi videntur eandem Confeßionem adhuc magis, qvàm Lutherus, laudare, cum tamen is gravißimis verbis laudârit. Cæterum qvanqvam qvi sim non ignoro, moneo tamen Ecclesias hisce XL annis in Christo renatas, ne satis esse putent, qvòd superstitiones Papisticas, abominationesq; cæteras, ab Ecclesiis suis exturbare potuerint, sed ut de concordi, de pura, de genuina filij Dei, Domini nostri Jesu Christi, doctrinâ retinendâ, tum de disciplinâ vitæq; mortificatione tali doctrinâ dignâ, aliqvando tandem vicißim invehendâ, diligenter & anxiè curent.

Tubingæ Cal. Augusti M. D. L VII.

XXI.

Illyricus, Fratrum captans societatem, repellitur.

Matthias Flaccius Illyricus, qvi contra Philippum Melanthonem, cœterosq; Lutheri Synergos, doctrinam Evangelij ab eo cœptam fideliter continuantes, & ad normam Sacrarum li-

terarum explanantes, *quæq; ille polemicè tractabat, didacticè & pacificè ad ædificationem Ecclesiæ proponentes, consurrexerat*; multosq; non postremæ authoritatis viros in Saxonia, & passim, imò jam integras cum Pastoribus Ecclesias, ab unitate Vitebergensium, genuinum Lutheri ac Scripturæ sensum seqventium, verorum & discipulorum successorum ejus, avulserat, & tristissimum Schisma fecerat; ablegavit quoque Anno 1558, in Sarmatiam emissarium suum, per quem in Polonia, præsertim Posnaniæ, offerens & cõmendans *Fratribus summam animi sui erga eos* (ut potè qvi eâdem gente *Henetâ* esset oriundus) *propensionem, benevolentiam, & amorem, in amicitiam societatemq; suam contra Wittebergenses illos exstimulabat, & allicere conabatur.* Sed rejectus est à Fratribus, gravi cum objurgatione: quòd nullâ justâ causâ tantas turbas in Ecclesia excitârit, & exiguas scintillas, quæ in charitate fraterna, & collatione amica, facilè extingvi poterant, hostili suo impetu in magnum incendium auxerit, præceptores suos, à quibus & scripturæ sacræ, & Luteri veram doctrinam, perfectiùs ediscere debuit, impudenter, & iniqvissimè persequatur; atq; magno scandalo Ecclesiam Christi lædat. Væ illi, nisi pœnitentiam egerit, fore. Se jampridem cum Luthero, illiq; tum divinitùs addictis cooperariis, Philippo, Georgio Majore, & cœte-

cœteris ejus Collegis, societatem & fraternam amicitiam iniisse, & mutuâ dexterarum stipulatione (Anno 1542) Vitebergæ confirmasse. Hanc se cum veris ejus Successoribus (qvi per totam vitam ad mortem usq; ei adhærentes, eum, doctrinamq; ejus optimè nôrunt, & tam priorum qvàm posteriorum sermonum ejus conscij, verum ejus sensum retinent) & incorruptæ Scripturis sacris consonæ, doctrinæ ejus sectatoribus, fideliter semper servaturos; atquecum ipsorum adversarijs nullam unqvam societatem habituros. *Offensus est vehementer hâc repulsâ Illyricus, & ex animo factus Fratribus hostis, quibuscunq; potuit modis, per se & suæ farinæ homines, illos deinceps persequebatur.* Verùm qvia semper inveniunt sua labra lactucæ; invenit ille qvoq; Jllyrici pararius in Polonia aliqvos, sed in Prussiam multò plures, quibus rixosi cui spiritûs ad turbandam pacem Ecclesiæ venenum instillavit, & ubiqvistici erroris semen insevit. Qvod malum ne Consensus qvidem, postea seqvutus, ex animis qvorundã exstirpare potuit; qvin hucusq; inplerisq; vestigia ejus appareant, & subinde repullulent.

XXII.
E LIBRO SEPTIMO.

Legatio Fratrum in Sveviam & Helvetiam.

OCcasionem huic dedit D. Lysmaninus suis iterum ad Tigurinos, Lausannenses, & Genevenses literis: qvibus ut Fratrum Confessio in articulo Cœnæ non satis probaretur, eoq; consensus Ecclesiarum in Polonia turbaretur, effecerat. Rescripserant enim illi: *Apertiùs Fratres suam de Verbis Cœnæ Domini sententiam scribere debuisse.* Adjunxit & hæc Bullingerus: *die 28. Octob. Augustana* (inqvit) *Confessio approbata est à Papistis, sicut ejus testatur Apologia. Qvid autem probant Papistæ? an alienum à sua sententia? non puto. Utriq; confitentur Corpus Christi substantialiter adesse, & manducari, à fidelibus & infidelibus. Prudenter, inqvam, noluerunt Papistæ contendere de præpositione,* Trans, *cum viderent Confessionem addere, qvòd majus est, substantialiter. Displicet ergò nobis illa Confessio in hoc Articulo, qvia displicet Papismus.* Sic & Calvinus de eadem & Fratribus, Anno 1557. ad Polonos; *Pars vestrûm, ut audimus, Augustanam Confessionem amplectitur: alij Valdensium doctrinam mordicùs retinent: sunt qvi desiderant puram & dilucidam mysterij*

(de Sa-

(de Sacra Cœna, de qva exortum est aliqvid dissidij inter Vos) explicationem. Et de Augustana qvidem Confessione, *non videtur justa esse ratio, cur* inter se litigent servi Christi, modò de genuino ejus sensu conveniat. *Valdenses* etiam *cupimus vobis semper conjunctissimos manere. Sed non videmus, cur magis arrideat cuiqvam Augustana Confessio, qvam ejus Authori Philippo. Atqvi profiteri non dubitat clarissimus ille vir, tradendam esse posteris plenam & liqvidam hujus doctrinæ lucem. Et sanè qvò minus omnes ad tollendam ambiguitatem consentiant, nihil aliud obstabit, qvàm Crucis metus: qvia de hoc capite doctrinæ infœliciter nostro seculo pugnatum fuit. Non nulli dum pro ingenij sui mansvetudine turbas fugiunt, leviter, & obscurè, attingi vellent, qvod perspicuè in Ecclesia docendum est. Sed longè falluntur, dum hoc remedio componi, sedariq;, posse certamina existimant. Neq; tamen hæc erit ab Augustana Confessione discessio, si clarior fidei vestræ expositio accedat: Sicuti vos divortium cum Valdensibus facere minimè vellemus, qvibuscum fraterna conjunctio, ad extremumusq; colenda sit. Tantùm cupimus ultrò citróq; alios aliis accedere, ut communibus studijs qværatur sacrum unitatis vinculum. Nec certè putamus adeò morosos esse bonos illos Fratres, qvin libenter recipiant, qvæ aliunde allata fuerit, explicationem: si modò in usum Ecclesiæ commoda aptaq; esse videbitur.*

Legi-

Legimus locum illum, ubi suam de Sacra Christi Cœna Sententiam exponunt. Breviter, & ferè concise, *asserunt Panem & Vinum, esse verum Christi Corpus & Sangvinem.* *Statim ad Confessionem transeunt, quæ nostro judicio doctrinam obscurat, vel involvit, magis quàm illustret*, &c. &c. Fratres igitur ut malevolorum calumnijs maturè occurrerent, atq; malè persvasos meliùs edocerent, ablegârunt Boleslaviâ (qvæ est in Bohemia) Anno 1560 legatos suos, viros doctos, *Joh. Rokitam* & *Petrum Herbertum*, ad qvosdam Principes & Theologos Germaniæ, nominatim in Sveviam & Helvetiam. Hi igitur ut *Goppingam pervenerunt*, ubi erant Duces, *Wolfgangus Bipontin. Palatinus Rheni*, *& Christophorus Dux Virterbergensis* ac Theccensis, *rogati ab illis de statu Ecclesiæ*, *tàm* suæ qvàm Polonicæ, responderunt se ab annis duodecim in Bohemia multis adversis premi; insidias, qvas vitare vix possent, sibi strui, publicos conventus vetari: in Moravia verò & Prussia, sub protectione Alberti Ducis, satis tranqvillum Ecclesiarum suarum esse statum. Sed Ecclesias Polonicas dissidijs scindi, seq; multa acerba audire, qvi simplicem tuerentur fidem & Confessionem Bohemicam, à Lutero probatam & publicatam, Augustanæ conformem, profiterentur. Idq; ab ijs maximè, qvi eam pro sua accepissent, nec se in Polonia aliam admissuros sanctè promi-

promiserant. *Cùm enim nos patriâ ejecti (addebant) in Poloniam venißemus, placuit multis Regni illius Incolis nostra doctrina: Licet ijs qvi se nobis adjungebant visum eßet aliarum qvoq; reformatarum Ecclesiarum de ea cognoscere sententiam. Factum q; fuit, ut post testimonia Lutheri, & Academiæ Vitebergensis, etiam Ecclesia Argentinensis, Basiliensis, Tigurina, Bernensis, Lausanensis, atq; Genevensis, veram esse ac dignam, qvam pij omnes amplecterentur, uno ore judicarent. Poloni proinde sumpto nobiscum Eucharistiæ Sacramento, obstrinxerunt sese ad ejus profeßionem, quòd ab illa nunqvam deflexuri, nec qvicqvam in ea immutaturi, eßent. Sed qvidam alterius sententiæ, aliunde venientes, adeò multos auctoritate suâ ab Ecclesia nostra, jam benè crescente, & bonam doctrinam non pejore disciplina ornante, averterunt, ut ea progreßu temporis negligi cœptasit.* Audierunt omnia libenter Principes, hospitium Fratribus apud se, si inde qvoq; rursus pellerentur, polliciti. Aderat tum ibidem *Petrus Paulus Vergerius*, Ducis Vitebergensis Consiliarius, & D. Johannes Brentius, &c. Die Junij 5. Christophorus Dux Wirtenbergensis legatis dans responsum, & scriptum mittens per Cancellarium suum, & D. Brentium, tale de Confessione ipsorum tulit testimonium, *Confessionem Fratrum se vidisse, & judicare Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ consentaneam, atq; sententiam Augustanæ*

Confessionis in omnibus Articulis seqvi. Deindè cùm ei valedicerent legati, in præsentia *Jacobi Andreæ*, Pastoris Ecclesiæ Goppingensis, *Brentij, Vergerij, & aliqvot Consiliariorum*, atq; *Secretarij* (qvi fuit *Joachimi Camerarij* filius,) hæc verba dixit: *Confessionem Fratrum video eandem esse cum Augustana; Et placet mihi, ac me volente nuper publicata est Tubingæ, ideò qvòd succinctâ methodo Articulos doctrinæ Christianæ ex fonte scripturæ Sacræ pleniùs qvàm nostra Augustana explicat.* Idem tunc in literis ad Ducem Nicolaum Radivilum, Palatinum Vilnensem, datis, de Fratribus Bohemis, etiam in Polonia commorantibus, ita scripsit: *Cùm Confessionem eorum ante annos viginti Wittebergæ typis excusam, & ante biennium Tubingæ recusam, summi Theologi suis calculis & suffragijs approbent, & cum Scriptis Propheticis & Apostolicis congruere judicent, ex animo illis favemus & benè cupimus, etsi in Ritibus & Ceremonijs aliqvantum à nostris Ecclesijs differant, tamen in doctrina optimè conveniunt. Deinde, valdè laudabile hoc eorum institutum est, qvòd sanam doctrinam Servatoris (ut Paulus loqvitur,) ornare studentes, severiter, & modo Christianis conveniente, inpeccantes animadvertant: atq; hoc pacto cum puritate Doctrinæ rigorem etiam Disciplinæ Christianæ, apud se retineant. Quamobrem cùm communi omnium favore & defensione digni sunt, vestram dilectionem majorem immodum oramus, ut eos suis beneficijs, ac propenso favore, dignetur: Et nostro etiam nomine Serenissimo Regi Poloniæ illos commendet, ut homines pios, disciplinæ studiosos, quæ Christianis, tanquam renovatis & regeneratis hominibus, est dignissima. Stutgard. 18 Junij 1560.* Idem ad Comitem Lucam à Gorka, Palatinum Posnaniensem: *Quia Valdenses, vulgò sic nominati, piam Doctrinam profitentur, & cum ea honestam ac Christianis convenientissimam disciplinam conjungunt, judicamus eos dignos esse, qvi omnium piorum studijs juventur ac promoveantur. Vobis igitur ipsorum Ecclesias ita commendamus, ut diligentiùs non possimus. Quicquid beneficiorum in eos contuleritis, Christo ipsi præstabitis, qui magno cum fœnore remunerabit.* Idem Dux Wirtenbergensis obtulit tunc Fratribus suam liberalitatem, se velle aliqvot juvenes ipsorum, bonarum artium studiosos, stipendio suo in Germania sustêtare. Qvô beneficio ipsius Fratres deinceps libenter usi sunt.

His expeditis, legati Fratrum (munusculis à Principibus ornati) discesserunt: *Rokita* qvidem certis de causis redijt in Poloniam; *Herbertus* verò ad Helveticos Theologos perrexit, & cum viris doctis Heidlbergæ, Argentorati, Basileæ, Tiguri, Bernæ, Genevæ, de negotijs Ecclesiasticis contulit. Sunt in monumentis Fratrum digna lectu colloqvia Herberti: præsertim cum Musculo, Bul-

lo, Bullingero, Vireto & Calvino, in qvibus præcocem illorum de Confessione Fratrum censurã, ad Polonos scriptam, reprehendit; ad omnia illorum qvæsita & objecta solidè, Fratrum nomine, respondens, palamq; demonstrans, *Fratres in Articulo de Cœna Domini pugnantibus Theologis, & utrinq; à sensu Verborum CHristi nimium deflectentibus, jure nõnsubscribere.* *In Cœna* (inqvit) *Dominica nostros neutram partem per omnia sequi, certum est, neq; Helveticos, neq; Luteranos. Non assentimur Zvinglio in re sacramentaria: quia ut magis reverenter debuit, ita commodiùs* & certiùs potuit, de hoc mysterio disserere. Quod vos ipsi nobiscum agnoscitis, qvia jam aliter, & cautiùs qvàm ille, loqvimini & scribitis. *Objicitis nobis, quòd videamur qvendam medium, seû mixtum, præsentiæ modum statuere, & simplicem Verborum Christi sensum nimis urgere. Libenter id fatemur: & hoc ipsum studiosè ac sedulò agimus, ut Verbis Domini fide simplici inhærentes, hinc modum carnalem Capernaiticum, inde autem merè significativum ac tropicum, fugiamus; mediumq; Sacramentalem ac verum, statuamus. Majores nostri semper navim doctrinæ suæ in hoc articulo, quasi inter Scyllam & Charybdim, ita dirigebant, ut vitarent hinc Papisticam Transsubstantiationem, & consubstantiationem, inde Taboritarum & Habrovanitarum nudum, sine præsenti veritate, signum; amplexi veritatem inter*

hos scopulos mediam, Panem Domini verum ipsius corpus modo Sacramentali, vero tamen, esse credebant, & docebant; modumq; hunc à communicatione spirituali, qui tantùm fide fit, distingvebant.

Fratrum ad Theologos tùm epistolæ, horumque ad illos, apponit Lasitius: sed qvas hîc recitari non interest. Quia verò Vergerij ad Rokitã epistola, anno pòst scripta, apud Lasitiũ nõ exstat, eam hîc ex authentico transscribemus. *Mi Frater salve, scripsi ad te ante tres Menses de rebus meis non pauca, quomodo scilicet gravissimè ægrotaverim, & quomodo nihil vehementius petam à patre Cœlesti, quàm ut me in sinum vestrarum Ecclesiarũ transferat. Nã in summa illas omnibus antefero, libenterq; darẽ hoc testimonium palàm reliquis Ecclesiis, quòd ita sentio. Abs te verò responsum nullum accepi, pro quo insto atque urgeo. Spero quidem, me post aliquot septimanas missurũ nepotem in Prussiam, cui mandatum dabo ut te accedat, & de tota hac re loquatur: sic enim me extimulat Deus. Interea utinã scriberes, aut venires etiam, ut scripsi: neque n. paterer ullam tuam jacturam. Non dubito qvin Magnificus Dominus Jacobus sit tibi quædam de Concilio (Tridentino) scripta communicaturus. Angustia temporis non patitur, ut plura nunc mittam, sed per nepotem mittam. Sentio me à spiritu Dei commoveri, ut ad Concilium accedam, & profectò (si mihi dederint qualem jam petivi salvum conductum) non*

potero me continere quin eò accedam. Est quidem periculum, ne me faciant, quod Johanni Hussio & Hieronymo de Praga fecerunt: sed non possum hanc vitam melius collocare, quàm si martyrio eam exponam. Cupio dissolui & esse cum Christo. Saluere jubeo Fratrem Georgiũ, & Fratrem Petrum, omnesq; reliquos Verbi Ministros & fratres. Orate pro me: quod ex animo rogo. Cœlestis pater augeat omnibus suos cœlestes thesauros, Spiritum & Fidem, per CHristum Dominum nostrum. Tubingæ die 19. Martij Anno 1561.

VERGERIUS.

XXIII.

Fratrum contra adversarios Wittebergam provocatio.

INter eos, qvos Illyricus turbulento suo spiritu infecerat, fuit in Brussia *Benedictus Morgenstern*, Pastor Thorunij Evangelicorũ non postremus. Arripuerat hic Fratres insectandi occasionem ex eo, quòd cum hi Cœtum in ea urbe peculiarem, anteqvam Lutherani Doctores eô vocati essent, collectũ haberent, reviserent eum subinde. Ille igitur schisma fieri clamare, cõtraq; illos plebem, & quos potuit è Senatu, incitare, etiam errorum insimulare, cœpit: frustra primario Pastore, pio Bodensteinio, moderationẽ svadente. Fratres re cognitâ, totius Synderij sententijs decernunt; *Oviculas suas Thorunij Christo collectas, Ministris ibi Lutheranis, tanto impetu eas poscentibus, publicè pascendas committere: sed innocentiâ suâ prius, ab errorum & schismatis reatu, solemniter defensâ.* Mittunt igitur eô Johannem Laurentium Consenioren, cum exoratis aliqvot Magnificis & Nobilibus Viris: qvi Anno 1563, menseq; Septembri, Torunium profecti, in publico Senatûs, honestissimorumq; civium consessu, de injuria sibi illata conqvesti, Morgensternium, calumnias suas defendere volentem, ita convicerunt, ut omnium auditorum judicio Fratrum innocentia pateret. Tum verò hi Auditores suos, qvos ibi loci primam frangendo glaciem, è densissimo Papatu Evangelio lucrati erant, ordinarijs jam ibi Evangelij Doctoribus commendârunt: his rursum Disciplinæ Ecclesiasticæ seriam promittentibus curam. (Actiones has prolixè describit Lasitius) Sed cùm inqvietus Morgenstern, ne sic qvidem rixas undiq; seminare desineret, prudens Senatus jurgia diutius ferre non valens, Urbe suâ eum excedere fecit. Qui quod Thorunij non potuit, alibi eô malitiosiùs tentavit, odia disseminare in Fratres, non in Prussia jam solùm qvietem Bohemorum exulum turbando, sed & in Poloniam majorem (ubi Confessionis Augustanæ Ministri jam-

jamqvoq; inclarescere, & in ordinem coire, atq; Synodum primâ in oppido Gostin celebrare, Anno 1566 cœperant) profectus, Articulos XII (sub titulo *Nævorum*) à Synodo illà recipi, & Fratribus mitti, obtinuit. Responderunt Fratres scripto, jam ad istas calumnias esse responsum Thorunij: repetieruntq; argumenta sua sic, ut prudentiores acqviescerent, licet non deessent qvi nodos inscirpo qværerent. Itum ergò tandem est in eam sententiam, ut scriptum utrumq; ipsius Lutheri Cathedræ, nempe Vitebergensis Academiæ censuræ & decreto, subijceretur. Quodpostqvam Fratres cognoverunt, & esse jam inprocinctu nuntium Luteranorum sciverunt, etiam illi continuò (sub initium Anni seqventis, 1568) ablegârunt Vitebergam *Iohannem Laurentium*. Sed non comparente ibi legato Luteranorum, forsan causæ suæ diffidentium, adijt Laurentius Collegium Theologorum Vitebergensium, & scriptum illud utrumq; judicio & censuræ eorum subjecit. Quid verò isti, veri discipuli & successores Luteri, responderint, malo id proprijs ipsorum verbis, ex Epistola ad Fratres in Poloniam tunc data descriptis, referre.

Reverendi viri, Domini & amici honorandi, diligenter audivimus virum reverendum, Collegam vestrum, ad nos missum, statum Ecclesiarum vestrarum nobis exponentem. Dolemus autem

tem toto pectore, in Polonicasqvoq; Ecclesias penetrasse spiritum illum inqvietum ac rixosum, qvi annos propemodum viginti Ecclesias nostras, Augustanam Confessionem amplexas, turbavit, & distraxit. Ac valdè metuimus, ne & vestris Ecclesijs idem ille turbator, ac verè διάβολος spiritus, certamina nova attrahat, & ærumnas ac difficultates augeat. Optamus etiam, & precamur gemitibus ardentissimis à Deo Patre misericordiarum, & authore omnis piæ *Pacis* & consensionis, ut Ecclesiam suam universam, in his terris & alibi sparsam, & ubiq; periculis & ærumnis tristissimis expositam, clementer tandem respiciat &c. Affecti sumus ingenti tristitiâ, postquam cognovimus criminationibus novis Ecclesias vestras turbari ac deformari. Cæterùm de Confessione Vestra, & libellis missis ad nos, qvos legi ac dijudicari à nobis petivistis, breviter respondemus. Legimus Confessionem Vestram ante hoc etiam tempus, & in omnibus doctrinæ partibus & Articulis necessarijs, cum Summa doctrinæ, qvam in nostris Ecclesijs profitemur ac sonamus, congruere illam intelleximus: etiamsi alicubi qvædam dicuntur minùs explicatè, & rituum aliqva videtur esse dissimilitudo. In fundamento tamen & doctrina necessaria, cùm Consensus sit, vestras Ecclesias à nostris nunqvam judicavimus alienas esse. Meminimus etiam, qvàm benignè & honorificè

rificè Confessionem Vestram Reverendus Vir, *Pater* ac *Præceptor* noster colendissimus, D. D. Lutherus, commendârit, publicè & privatim; utq; Vestros Fratres complexus sit Anno Christi 1542, qvadriennio ante mortem suam. Quô judicio videtur ipse qvasi voluisse obliterare ea, qvæ dudum antea, nondum perspectâ Confessione Vestrâ, de vestra communitate scripserat. Hoc tanti viri postremum judicium de vobis, & de doctrina vestra, non aspernamur. Ideò turbari vos, aut deformari injustis criminationibus, (ab ijs qvi se Luteranos vocant,) dolemus. Ac *Nævos* illos notatos abhis, qvi Admonitionis Fraternæ titulo ac prætextu disputare vobiscum cœperunt, non nævos saltem, aut maculas exiguas, sed tetra & hæretica crimina esse judicassemus, nisi aliud ostendisset ac testata fuisset Confessio, & opposita his Responsio vestra, qvâ illas aspersas Ecclesijs vestris abstersistis. Itaq; cùm accusatio gravissima, illis blandis & mollibus adversâriorū vestrorum verbis involuta videretur, lectâ Responsione vestrâ, & collata cum Confessione vestra publicâ, non potuimus non reqvirere in reprehensione & objectione Nævorum illorum (quos vobis Flacciani Sarmatici adscribunt) & candorem, & æquitatem. Ac perplacet nobis moderatio vestra, quòd perspicuè, & sine acerbitate, crimina falsa à vobis depellitis. Et quæ à majo-

majoribus vestris minus perspicuè aut propriè dicta sunt, ingenuâ confessione agnoscitis, ac dextrè explicatis, &c. Hæ ergo criminandi vos occasiones ut tollantur, judicaremus publicè profuturum vobis, si editâ & Confessione vestrâ denuò, & Apologiâ hujus novâ & explicatiore, ac magis propriâ, testaremini de his quæ majoribus vestris, vel excidissent imprudentiùs, vel temporum vitio qvomodocunq; adhuc antè pleniorem Evãgelij lucem adhæsissent, contracta ex consvetudine longa inveteratorum errorum Regni Pontificij. In editione tali Ecclesijs vestris, nostro judicio, profuerit fortassis & hoc, si adderetis; In fundamēto doctrinæ planè vos hoc sentire & docere, qvod illæ profiteantur Ecclesiæ, quæ Ministerio Lutheri repurgatæ Confessionem amplectuntur exhibitam Carolo Imperatori in Convētu Augustano, Anno tricesimo, & postea repetitam in ea Confessionis forma, qvæ ab Ecclesijs Saxoniæ superioris scripta est, ut Synodo Tridentinæ exhiberetur, & à multis præstantibus viris approbata est; qvæ deniq; prolixè & verè declarata est, in eo volumine, quod *Doctrina corpus* appellatum, & nostra & Lipsiensis Academia amplectitur ac retinet, constanti & consentienti spiritu. Talis ergò explicatio locorum obscuriorum, & protestatio de consensione cum his Ecclesijs nostris, prodesset nostro judicio Ecclesijs vestris

S multi-

multipliciter. Verùm de eo, ut vos statuatis quod ex re vestra futurum judicabitis, liberè vobis permittimus, &c. Benè & feliciter Valete. Datæ Vittebergæ, die Cathedræ Petri, Anno 1568.

Paulus Eberus, Decanus Collegij, & Ecclesiæ Vitteberg. Pastor. *Georgius Major* Senior. *Paulus Crellius* Doctor, suo & totius Collegij nomine.

In privatis autem literis, qvas Doctor *Georgius Major* ad *Georgium Israelem* Episcopum Fratrum (cui etiam Lutherus dexteram societatis olim porrexerat) eodem tempore scripsit, hæc verba leguntur. Grata mihi fuit commemoratio, & commendatio, notitiæ & familiaritatis, quæ inter nos contracta est, cum antè annos circiter triginta Reverendus Pater & Præceptor noster D. D. Lutherus, piæ memoriæ, de confirmanda concordia in pura Doctrina Evangelij vobiscum ageret. Et memini me interfuisse aliqvoties vestris pijs colloqvijs, & sermonibus: Et Confessionē atq; Apologiam vestram approbatam, & consilio D. Lutheri ac aliorum hîc Vitebergæ typis publicè editam, atq; dexteram perpetuæ amicitiæ, & sanctæ Societatis, Anno 1542 ab eo Vobis esse datam. Nunc vestræ Ecclesiæ affliguntur ab ijs, qui hoc tempore non in Polonia tantùm, sed passim in tota Germania, Ecclesias turbāt insanis clamoribus, mendacijs, calumnijs, & venenatis dictis & scriptis, multos bonos conspuunt. Sed tales portabunt suo tempore suum judicium Is status Ecclesiæ hoc tempore est, ut si unquam consensu opus fuit, nunc maximè opus sit, &c.

XXIV.

Lasitij de Fratribus, primùm visis, judicium.

Anno 1567. proficiscens mense Aprili studiorum gratiâ Heidlbergam, & deinde 1571 Argentoratô domum revertens, deflexi non nihil ex itinere ad Fratres Pragam, atq; Boleslaviam: quorum eo tempore Antistes per Bohemiam fuit *Johannes Calephus*, vir gravis & severus, ut sunt omnes. Deum immortalem, qualis quantaq; tum exarsit in corde meo lætitia, conspectis cognitisq; hiscè omnibus, quæ jam hîc scripta sūt, quæq; bonâ fide Libro Octavo referentur. Certe lustrando diligenter singula, atq; de omnibus percontando, videbar mihi in Ecclesia Ephesina, vel Thessalonicensi, seu quavis alia Apostolica, fuisse; oculis intuens & auribus hauriens meis ea, quæ legimus in scriptis Apostolicis, Epistolis Ignatij Martyris, Apologis Iustini, Apolegeticoq; Tertulliani. Ut profectò valdè sint iniqvi, & Fratribus injurij, omnes isti, qui afflatu maligni illius & invidi, sanctæ eorum conversationi detrahunt, fidei pia producentis opera derogant, quiq; adeò bonis,

bonis, insontibus, qvietis hominibus, nocent. Ignorat certè Bohemia, nescit Moravia, qvales habeat incolas: alioqvi plus eis honoris deferret, magisq; eos quàm id facit amaret; dignos omninò, qvibus universæ Ecclesiæ, si eam esse sanctã & sine macula, atq; ad illum Apostolici seculi florẽ ac vigorem redire velimus, gubernacula credederentur. Verùm frustra hæc optantur omnia: nunquam cedent parietes dealbati veris Episcopis, neq; Oves Christi conversæ in hædos ferent Pastores alios, qvàm sui similes. Luxuriabitur Babylon, quoad unâ horâ veniant plagæ, ei destinatæ, quas Noe, Loth, Daniel, Tobias, Deo defensore salvi evadent.

XXV:

Confessio Fratrum denuò Wittebergæ editur: Judiciaq; de illa magnorum Virorum honestissima.

ANNO 1575. Edebatur Vitebergæ (Latinè & Germanicè) Fratrum fidei Confessio, priore aliquantô ornatior, cum brevi originis illorum narratione. Quæ cùm esset judicio subjecta Theologorum Vitebergensium, (quorum & consilio sic reperita fuit) ita ipsi de ea ad Presbyteros Fratrum: *Gratulamur vobis ac Ecclesiæ vestræ eum*

animum, quòd laudabili Majorum vestrorum exemplo in hanc potissimum curam incumbitis, ut in cognitione Christi proficiatis indies, & pretiosum Verbi depositum fideliter ad vestrosquoq; vicinos & posteros trasmittatis. Legimus formam à vobis repetitæ Confessionis, & judicamus eam in fundamento cum scriptis Propheticis & Apostolicis, eoq; doctrinæ genere, quod in Ecclesiis harum Regionum sonat, cõgruere: omnesq; pios, qui sine sophistica judicant, & pacem atq; simplicem veritatem amant, in ea acquiescere posse, ac debere. Etsi enim in Ritibus nonnullis, ut pote Cœlibatu Sacerdotum, & paucis quibusdam aliis, pro diversa apud vos rerum conditione à nobis discrepatis, phrasium etiam alicubi apparet dissimilitudo: tamen cùm in doctrina & fundamento utrinque sit consensus, de ijs pugnare nec volumus nec debemus. Nec videmus causam cùr vos à societate & gremio Ecclesiarum nostrarum, ad quas confugitis, & vestrum cùm ijs consensum profitemini, temerè (id quod ab aliquibus objici vobis conquerimini) excluderemus: cùm & dilectio, disciplinæ Christianæ symbolum, & exempla Præceptorum nostrorum, Reverendi Patris & Doctoris Lutheri, & Philippi Melanthonis, eorundem nos judicia & moderationem hac in parte imitari jubeant; qui jam olim ipsi quoq; honorifico testimonio Confessionem vestram editam, publicè contra calumnias & suspiciones malevolorum ornârunt, à qua repetitionem

hanc, aliquantò nunc scriptam dilucidius, nihil quod ad sententiam & res ipsas attinet discrepare videmus. Et tot jam antea vulneribus distractum, tot scandalis deformatum est, miserum Ecclesiæ corpus, foris & intus, ut præter mandatum Dei, vel publicæ salutis ratio, conjunctis animis & viribus mutuas tradere operas, ad conservationem & propagationem purioris doctrinæ, cogat omnes qui à scelere immaniũ parricidiorum, & reatu innoxij sanguinis, qui nunc majore sævitiâ quàm unquam antea effunditur, in membris Christi, liberare Conscientias, & nomen Christianum coram Deo & hominibus sonare volunt &c. Probamus & Disciplinæ Ecclesiasticæ, quam exemplo veteris Ecclesiæ, sine superstitione & laqueo Conscientiarum, apud vos retinetis, severitatem: cùm ex officio Ministri inquirere debeant in Conscientias eorum, qui enormibus delictis societatem hominum turbant, & offendunt alios, ut ad seriam pœnitentiã convertantur: Auditores verò obedientiam Ministris, in ijs quæ fiunt secundùm Evangelium, omninò debeant. Ita Decanus & Collegæ ejus, Theologi in Academia Vitebergensi, 8. die Februarij 1573.

Hieronymus autem Zanchius, de ea Fratrum Confessione ad D. *Johan Cratonem*, *Medicum &* & Consiliarium Cæsaris, hæc verba (Anno proximè sequenti) scripsit: *Legi, & quidem attentè ac diligenter cum magna animi voluptate & utilitate, totam quam misisti Fratrum Confessionem. Nam*

non solùm vidi doctrinam universam esse consentaneam cum sacris literis, verum etiam mihi videre visus sum synceram & verè Christianam cordium ipsorum pietatem. Quippè qui scopum in hac Confessione hunc sibi videntur proposuisse, non ut quicquid est in Ecclesia Romana, totum illud ab ipsis usq; fundamentis (ut quidam faciunt) sine ullo discrimine penitùs subruant, atq; convellant; sed ut ad veram & Apostolicam, eóq; salutarem, pietatis normam suas ædificent Ecclesias, rejectis reijciendis, & correctis corrigendis, ac retentis quæ retinenda erant: quæ tandem vera est, ac legitima, Ecclesiarum reformandarum ratio. Atq; utinam omnes horum optimorũ Fratrum exemplo, in idem studium incumberemus! Plus certè Pietatis, Pacis, Concordiæ, Charitatis, quibus DEUS glorificetur, Regnumq; Christi promoveatur, & in nobis ipsis sentiremus, & in alijs conspiceremus. Et quorsum obsecro tota sacra Scriptura, Evangelij prædicatio, Sacramentorum administratio, Disciplinæ institutio, nisi ut his externis adminiculis sustentati, fulti, adjuti, operante in nobis Spiritu S. cùm in vera Fide & Charitate, tùm in studio bonorum Operum, sanctæq; Vitæ, quotidiè magis ac magis proficiamus? atq; (ut inquit Apostolus) ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. *Ergò etsi concedo tibi ex parte, quod scribis; In istis plus esse Conscientiæ quàm Scientiæ, simpliciter tamen non do. Plus enim mihi isti* νήπιοι

sapere videntur hâc sua ignorantiâ, quàm multi Cō-φοι multiplici suâ scientiâ. Precor illis Fratribus omnem in Deo benedictionem, gratiam & pacem. Hæc Zanchius, Italus doctissimus.

Sarnicius verò noster scripsit: *Si quis ex me quæsierit, quid Confessio Bohemica ab Augustana & Helvetica defferat, demonstrare possem; Omnes Confessiones, Germanicas & Gallicas, id potissimùm agere, ut abusus Papisticos refutent & damnent: Sola Confessio successorum Martyris Hussi, non modò destruit quæ contraria sunt, sed etiam reparat, restauratq; ædificium novi & regenerati hominis, atq; Ecclesiæ benè moratæ.*

Quod & *Zacharias Ursinus* sensisse videtur: qui eodem 1574 anno ad Andream Stephanum, Fratrum in Moravia Antistitem, ita scripsit. *Notum est nobis ex vestra Confessione, vestra de omnibus doctrinæ Christianæ capitibus nobiscum consensio, & vitam Christianis dignam conservandi cura & diligentia. Atq; in hac quidem parte vestram præ nobis felicitatem vobis meritò gratulamur, & à vobis petimus, ut precibus vestris apud Dominum nos juvetis, in impetranda ejus gratia, quâ nobis etiam Ordinis & decori Christiani profectus aliquanto major concedatur, fiatq; ut nos ipsos judicantes, non judicandi simus à Domino.*

Licet enim vota & studia jam dudum eò contendunt, ut alivid melioris Ordinis tandem inter nos cōspiciatur: tamen quia nomen Ecclesiasticæ Disciplinæ, alijs imprudentius & importunius eam urgentibus & tractantibus, alijs acerbius & sine discrimine repudiantibus, ita factum est odiosum, ut magna pars illud aversetur, atq; deletum cupiat, vix etiam nomen ipsum, aut tenuem umbram disciplinæ, hactenus, obtinemus, Idcircò cum pudore & dolore videmus vestrâ opinione plus nobis tribui, quam apud nos deprehendimus: nobis tamen indè stimulos incuti sentimus, quibus excitati conemur vestræ & aliorum piorum honestæ de nobis opinioni magis respondere. &c. 19. Maij. 1574.

Itemq; Caspar Olevianus, ad eundem ita scribens: *Dici non potest, quanti ego illud opus Domini faciam, quod in Ecclesijs vestris non inchoavit modo, sed tot etiam annos continuat. Movet me nō parum, & collegas meos, ultima hujus seculi corruptio, ut de optima Ecclesiæ gubernatione vobiscum cōferamus: cupimus enim ita ædificare, ut ædificium ad posteritatem sit stabile. Videmus autem, quanta sit varietas, quam subitæ mutationes in ijs Ecclesijs, quæ jure veluti suo exutæ, simpliciter à Politijs pendent. Hisce malis nisi maturè occurratur, sentient multi pij, se (saltem magnâ ex parte) in vanum cucurrisse: dico quod ad stabilitatem ædificij attinet, & ad conservationem atq; propagationem totiûs Oeconimiæ Regni Christi. Quæ in re quæ Dominus vobis concessit, agnoscimus atq; plenius ea agnoscere*

cupimus; Dominumq́; rogamus, ut ipsemet ad eam rem media suppeditet. Certè quum tristem faciem Ecclesiarum reformatarum in Germania intueor, totus penè cohorresco. Video Politias hospitia fuisse Ecclesiæ; at jam multis in locis hospitia mutantur in dominia, ut liberè in Ecclesias, adeóq́; ipsam cælestem doctrinam, dominentur. Causa hujus mali non postrema esse videtur, quòd Ecclesiæ multæ nimis sese Politijs hujus mundi adstrinxerunt, quasi pars sit essentialis regni Christi. Itaq́; vestram rationem ædificandi non possum non magnifacere, qui vultis Ecclesias vestras ita Politijs hujus mundi, imò omnibus hominibus ad bonum esse subjectas, ut tamen nil libertatis suæ, quam Christus sangvine suo eis comparavit, decedat. Heidelb. 6. Septemb. Anno 1574.

XXVI.

Ex Appendice Libri VII quædam.

Dicis tu (Morgensterne); *Malle vos desiderare aliquid in Disciplina, quàm in Doctrina.* Sed quæro ex te, ô Theologe: Integráne tua ista doctrina erit, quæ doctrinam Evangelij de Disciplina, suis gradibus descripta, & severè à Christo mandata, ab Apostolis verò exercita, negligit? Integrúmne etiam Ministerium Christi, in quo unâ tantùm Clave, aperiente scilicet & solvente, utimini? claudentem verò & ligantem abijcitis? Hóc ne

Hócne est fidū esse Janitorem domûs Dei, quemvis venientem, ignotum etiam, imò notum, sed peccatorem impœnitentem, intromittere? Hocne fidelem esse Dispensatorem Mysteriorum Dei, Sanctum canibus etiam, & Margaritas porcis etiam, objicere? Annon indignatur Deus, si qui Dei loco populo loqvuntur, *dicant Pax, ubi nō est Pax? Non enim est pax impijs, dicit Dominus, &c. &c.*

Simeonem Theophilum Turnovium, Superattendentem in Pol. Ecclesiarum Confessionis Bohemicæ, toties perstringis, & hostiliter pungis: quamvis nihil proferas, nec possis, quod illi jure objicias. Illúmne etiam persequi libuit? virum pacificum, pacificandisq́; alijs prorsùs deditum: erga omnes Christianos, etiam erga te (quod ipsemet per munusculum ab eo acceptum te expertum esse fateris) benignum? & ob singularem humanitatem, placidosq́; mores, omnibꝰ bonis, ipsis etiam hostibus, Clero & Episcopis Romanis, charum? &c. Ex cujus ore sæpiùs ego hæc audivi verba: *Lætâ hâc etiam in parte fruor conscientiâ, quòd secundùm mandatum Christi omnes Christianos, tanquam Fratres, ex animo diligo; etiam erroribus pollutos; etiam Papistas, & alios aut malitiâ aut intempestivo zelo nos hostiliter persequentes. Neminem illorum damno, omnes eos Domino, qui novit qui sint sui, etiam inter Saulos Paulos, committo: nullum eorum odi, neq́; cuiquam perditio-*

ditionem opto, conversionem potiùs omnium, si possem ad veram Evangelij lucem & pacem, promoverem. Nam non Cainum & Pharisæos, sed Abelem & Dominum Jesum, imitari nos Spiritus S. jubet: ut cum Apostolico cœtu in tribulationibus verè gloriari, & spe gaudere possimus, scientes nos esse translatos de vita ad mortem, quoniam diligimus Fratres, &c.

Tandem tibi, & tui similibus, quibus magnum illum Lutherum, Romæ fulmen, nonnisi in vehementia & iracundia imitari, nec tantùm in hostes, sed in leviter etiam dissidentes fratres, perpetuò fulminare allubescit, hunc propono in charitate solvendum nodum: *Qvũ Deus Eliæ cõpariturus esset in monte, quare in spiritu ac vento vehementi & forti, subvertente montes, & conterente petras ante Dominũ, non erat Dominus? neq; in magna commotione Dominus? neq; in igne Dominus? sed tantùm in sibilo auræ lenis Dominus?* Aut potius similem huic, sed apertiùs & planis verbis à Spiritu S. propositâ legis Christi sententiâ, (2. Tim. 2.) *Sectare Justitiam, Fidem, Charitatem, Pacem, cum ijs qui invocant Dominum ex puro corde. Stultas autem & ineruditas quæstiones devita; sciens eas gignere lites. Servum autem DEI non oportet litigare, ac pugnacem esse: Sed mansuetum, & placidum erga omnes: aptum ad docendum, patientem, ac tolerantem malos: cum lenitate erudientem eos qui resistunt, siquando det eis DEUS, ut resipiscentes agnoscant Veritatem.*

Reveren-

Reverendo Domino Francisco Rosentrit, Pastori Ecclesiæ Dei apud Lissam in Polonia &c.

SAlve Reverende Vir, amice & Frater in CHRisto charissime. In hac temporum mœstitia portus & anchora nostræ consolationis est, pium cum Deo & sanctis hominibus colloquium, & assidua meditatio rerum maximarum in Verbo Dei nobis promissarum, quas hîc fide infirmâ tenemus, fide tamen. Hoc consilio ante annos 12 ingressus sum studium Chronologicum, in quo meâ opinione diutius versatus sum, ob crescentes ex Theologorum rabie rixas: ac solitus sum amicis studii novi tractationem mirantibus respondere: *Malle me computare, quam disputare, eòquòd hoc destructionem & dissipationem, illud collectionem sonet.* Ex hoc itaq; labore meo natus est libellus quem mitto, teq; reverenter & amanter oro, ut non tam ipso munusculo, quam meâ in te benevolentiâ planè eximiâ, & vere fraternâ, delecteris. Sciscitatus sum ex generosissima Domina, cùm de alijs rebus, tùm de tua valetudine; didici ex ejus narratione talia, pro quibus Deo gratias ago. Verè hoc tibi confirmo, Charissime mi frater, non esse me ex eorum numero, qui Fratres vestros flagellant, lacerant, aut damnant: sed optârim nostris

Ecclesiis

Ecclesiis tandem, quam vos immenso Dei beneficio seruatis & custoditis, sanctam Disciplinæ Ecclesiasticæ seueritatem. Nostrum ovile, nostræ caulæ, carent januis, repagulis, & seris. Verba facimus vento & äeri, lignis & lapidibus, surdis ac mutis, mortuis & vix vivis: nisi quod miraculosè Deus non nunquam virtute Spiritûs sui ac Verbi, Crucisq; tolerantiâ, & Pœnarum gravitate, sibi vasa misericordiæ præparat, & Saulos in Paulos potentiâ dextræ suæ transmutat. Alioqui sicut Sodoma & Gomorrha periremus. Sed hac in re plus votis quàm indignatione proficitur. Confer quæso, frater dulcissime, oculos tuos in totum Ecclesiæ corpus, quid illo ærumnosius? A Senioribus in Israel, i. e. superbis, auaris, & rabiosis Matæologis, egreditur iniquitas. Nullum ego nunc in mundo novi intolerabilius genus hominum, quàm quosdam Germaniæ nostræ Theologos, qui summam pietatis in his vocibus, quas S. Paulus tantoperè detestatur, ponunt: *Ego sum Pauli, ego sum Apollo.* Interim excoriant Fratres, & viva membra Christi. O bone, ò dilecte Francisce! ubi nunc sunt illa beata tempora, quando tu & ego juvenes sedebamus ad pedes Viri Dei Philippi, ante annos 28? ubi nunc sunt illa secula? perierunt nobis lucidi illi soles. Sæpè recordor vocis, quâ de tuis Fratribus sententiam proferebat: *Fratres Bohe-*

mici

mici, inquit, sunt homines boni & orthodoxi & tantum sunt in odio propter Disciplinæ, quam Deus voce suâ sanxit, piam observationem. Verùm sanctæ illæ voces nunc non à rudi & impio tantùm vulgo, sed etiam à Magistris & Ministris nequitiæ i. e. ab ipsis Evangelij doctoribus exploduntur, exsibilantur, & una cum suis authoribus ad inferos relegantur. Quoties audivimus beatam illam animam Melanthonis exclamantem: *Adolescentes venient tenebræ!* Aspice Germaniam, videbis vaticinij hujus tristem ac deplorandam veritatem. Adest mundi vespera, aut potiùs ipsa nox tenebrarum, Christus sanguinem sudat in suis, osculo traditur hostibus necandus, abnegatur à Petro, deseritur à dilectis, lanceâq; latus ejus perforatur ab impiis auditoribus nostris. Reviviscet tamen aliquando, nec semper sonabit vocem, *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* sed ἐπινίκιον canet, devictis & conculcatis hostibus, *Ascendo ad Patrem: Ero mors tua ò mors. Data est mihi omnis potestas.* Hâc unâ consolatione me sustento, & interim, dum alii Christo insultant in cruce expiranti, ego pectus tundo, & omnibus sub cruce stantibus lachrymarum & dolorum societatem præsto, diemq; Resurrectionis, Vitæ, Victoriæ ac Triumphi Christi expecto. Hæc ego ad te, sancte vir, animo optimo, tuiq; amantissimo; teq; oro, ut isthæc piâ mente, quâ profectò à me scripta sunt, accipias, inq;

partem optimam interpreteris. Oro ac obtestorte propter D. nostri Jesu Christi misericordiã: ne amicitiam nostram asperneris: sed cùm corporibus & locorum spatiis disjunctissimus, amore & precibus tuis nos complectaris, & si tibi grave non est, epistolio benevolentiæ in nos tuæ constantiam contesteris. De me tibi hoc planè perpetuoq; persuasum sit; fide, confessione, spe, invocatione, dilectione Dei & proximi, miseriis, doloribus, odio diaboli, fugâ scelerum, & vitæ piæ studio, esse tibi, tuoq; sacro cœtui conjunctissimum, fore etiam conjunctissimum in vita altera, in qua multi ex his, qui hîc anathemata & περιψήματα fuerunt, lucebunt in cœlo. Multi etiam justificati & canonisati, aut in sanctorum catalogum (ut cum Pontificiis loquar) à Doctoribus mendaciorum relati, erunt inferorum favillæ & cinis. Benè vale, Domino nostro Jesu Christo clementer jubente & benedicente. Salve mi Francisce, meq; tui amantissimũ redama Amet te Dominus noster Jesus Christus Amen. 20. Martij, è domo servitutis meæ, Freistadij 1579.

Te reverenter colens & amans.

Abrahamus Bucholcerus.

Conclusio.

AGnosce Fratrum pusille grex, quid tibi olim tribuerint magni Evangelij doctores! ut quas laudes tueri debeas, aut ob quas amissas erubescere, ne ignores. *Populus fuerunt (Majores tui) Dei metu perculsus, idololatriam & superstitionem fugiens, salutis desiderio totum se rerum cœlestium studio tradens, relictisq; mundanis cum Martha occupationibus, ad pedes Christi cum Maria considens, & ab ejus solius ore, cum oblivione omnium, pendens; atq; ob hanc unius Christi sequelam contemtum, ludibria, persequutionesq; mundi perferens, sui tamen defendendi partes Domino suo securè permittens. Cui propositum fuit à nemine Christianorum separare se, nullamq; inceptare, aut fovere, sectam, adunari potiùs omnibus puro corde Christum invocantibus ullo loco, & servientibus DEO spiritu* (1. Cor. I, 2. Phil. III. 3. vide supra Excerpt. III. IV. VI. VII. VIII. IX. XII. &c.)

2. Cumq; corrupta & confusa viderent omnia, necessitatemq; constituendi ea meliùs, quæ

in salutem generis humani Verbo suo ostendisset Dominus, distinguere prudenter cœperunt inter Christianismi *Essentialia*, *Ministerialia*, & *Accidentalia*. *Essentialia* appellantes (seu *Substantialia*) tres illos salutis æternæ cardines, *FIDEM*, *CHARITATEM*, *SPEM*, sine quibus neminem salvari è Scripturis didicerant. *Ministerialia*, vocârunt illa divinitùs subministrata media, per quæ ad Fidem, Charitatem, Spem, cooperante Spiritu Sancto, veniri voluit Dominus: nempe VERBUM DEI, CLAVES Regni cœlorum, & SACRAMENTA. *Accidentalia* deniq; illa, quæ modum concernunt datis illis divinitùs medijs tam prudenter utendi, ut rectè utentibus non ingenerari Fides, Spes, Charitas, non possint: CEREMONIAS videlicet, & RITUS, externum Dei cultum, & in eo Verbum Dei, Claves, Sacramenta, sic dispensandi, quòmodo gratiosæ divinæ in hominibus salvandis voluntati humanâ etiam prudentiâ subserviri possit commodè.

3. Factum ergò fuit divinâ benignitate (*cujus viæ sunt misericordia & veritas*; *& qui ambulare facit humiles in judicio, & mites docet viam suam, revelatq; secretum suum timentibus se, & scire quærentibus voluntatem Dei, ut faciant eam*, (Psal. XXV. 11. 10. 15. Joh. VII. 17.) ut illis prodiret *FIDES simplex & plana*, nullis curiosis quæstionibus concisa, aut intercisa; Dei mysteria credere, non rimari, sueta. *CHARITAS* vero *fervida*, in Fidei demonstranda soliditate operosa, omniaq; ad mutuam ædificationem, & communia solatia, referens. *SPES* deniq; misericordiæ Dei *tenax*, in futuram æternitatem tota exporrecta, transitoriorum bonorum obliviosa. Hinc enatum uni Christo placendi studium, etiamsi toti displicerent Mundo. Submittebant quidem se omnibus humilitate: sed ne quis dominaretur illorum Fidei, præter Spiritum in Scripturis loquentem. Gaudebant in tribulatione: sed ne eas in se concitarent ipsimet, irritato quôquam sine causa. Vanitates mundanas ignorari etiam à suis volebant; ne his intenti ab æternorum desiderio avocarentur. Revocabant ergò se, & suos omnes, in omnibus externis, à fastu ad modestiam, ab insolentia ad simplicitatem, à luxu ad sobrietatem, à libidine ad continentiam, à morum feritate ad mansuetudinem, ab impatientia ad injuriarum tolerantiam, à dissidijs ad concordiam, &c. ut *quæcunq; essent vera*, *quæcunq; honesta*, *quæcunq; justa*, *quæcunq; pura*, *quæcunq; amabilia*, *quæcunq; bonæ famæ*, *hæc cogitarent omnes* (Phil. IV. 8.) **Hoc tum fuit apud nos, dici Fratrem, aut Sororem, Christi.**

4. Ab hac tali idea degenerare quàm turpe sit; & degenerasse quàm dolendum, jam discen-

 dum

dum Vobis est sub castigatione divina constitutis. Degenerasse enim nos, testis est castigans nos ob desertam illam primam charitatem Christus, rerumq; ipsarum adsunt testimonia: quæ si quis non videt, palpet. Ordinis quidem externi arbor stare adhuc videtur, nominis cortice tecta suo, vestitaq; hincinde apparentiæ cujusdam foliis: at medullam intùs exaruisse (in plerisq; saltem) fructusq; aut non edi, aut nonnisi acerbos, negari non potest, si modò quales Dominus requirat, & exspectet, ab Ecclesiæ suæ vinea fructus, non ignoramus. (Jes. 5. 4.) Nam

5. Illa majorum sanctimonia, qualis libro VIII Lasicij (Capite I. § 5. 8. 9. 10. & Cap. II. § 4. 5. & alibi) describitur, ubi nunc est? Ubi juniorum erga Superiores, & populi erga Pastores, deprædicata illa reverentia, & spontanea in omnibus, tanquam erga Christum, obedientia? Ubi tanta illa inter omnes dom[illegible] concordia, ut totus fraternus cœtus unum cor, unaq; anima, videretur? Ubi erga alios, aliunde venientes, ad exemplar Apostolicæ Ecclesiæ composita hospitalitas? quam dilaudat Author Capite IX. § 16. &c. Ubi erga ipsos quoq; hostes mansvetudo illa, qualem miratur *Excerpt. XV*? Fuit n. certè singularis, dum inter nos nemini cum quoquam de Fide rixari, omnibus secundùm Fidem vivere, cura fuit? nec litigare cuiquam cum quoquam, nisi cum veteri

teri Adamo, libuit. *Bella gerere, aliorum esse voluerunt opus, quibus id esset volupe. sancti prædecessores nostri: ipsis pati, tolerare, & interim amare, res visa ad exemplum Christi.* An & nobis nunc? Utinam!

6. Si *Ecclesiarum Pastores* seorsim inspicimus: ubi est illa *industria, labor indefessus, vigilantiaq; & sanctitas*, qualem in majoribus commendat Lasitius Cap. II. § 8. & alibi? Mult[i]sné jam habemus inter nos paulos, *qui se gratis dent Ecclesiæ? qui cùm illi possint esse oneri, tanquam Apostoli Christi, nolint tamen: sed sint in medio auditorum placidi, ut cùm nutrix fovet fœtus suos, cupidi impertire illis non modò Evangelium Dei, sed etiam suas ipsorum animas? & qui noctes atq; dies operando, ne quem gravent, prædicent Evangelium? sancteq; & inculpate vivendo unumquemq; tanquã patres filios hortentur, ad ambulandum dignè Deo?* (1. Thess. II.) Ubi inquam talis hæc *αὐτάρκεια*, frugalitas, parsimonia, opum contemtus? qualem in majoribus nostris laudat Author, Capite XVII. § 22. 23? Ubi prudentia illa, homines ad *Christianismi medullam, FIDEM, SPEM, CHARITATEM*, ita deducendi, ut rerum in Religione concurrentium *essentialium, ministerialium, accidentaliumq;*, discrimen omnes nostri nôrint? & se non propter ceremoniolas, sed res majoris momenti, mundi odia, persequutiones, exilia, mor-

mortes, sustinere intelligant? Hinc nimirum tot nostrorum, *nostro tempore, apostasiæ, aut vacillationes*: quia cur constando mori etiam, quàm nutando vitam, honores, aliaq; vitæ præsentis bona redimere debeant, non intelligunt. Non intelligunt autem, quia Pastores officium segniter nimis, aut etiam inerter, faciunt: vividusq; ille Pastorum Spiritus filios destituit. Ubi nunc est *prudentia illa, Auditores pro diverso captu diverso doctrinæ genere imbuendi!* aliter scilicet de rebus divinis informando *incipientes*, aliter *proficientes*, aliter *perfectos?* (Lib. VIII. Cap. 10. v. 11.) Ubi studium, uniuscujusq; è populo intimas Conscientiæ necessitates noscitandi? Conciones q; eò, ut pabulum suum pro præsenti semper necessitate quæq; ovicula Christi inveniat, dirigendi? Nempe *non Auditores jam nobis Postillæ sunt* (ut majoribus, Christi & Apostolorum exemplo, fuerunt) *sed quas concinnârunt alienorum gregum Pastores*; in illis nos oberrando, & alienissima sæpè à nostrorum usu, aut præsenti rerum statu, cantillando, aures titillamus veriùs, quàm pascimus conscientias: & miramur sermonibus nostris deesse vim illam, quæ hominum flectat corda, & transmittet in Deum? Non attonitos jam reddit sermo noster audientes (ut olim ipsum Lasicium, VIII. § 4.) sed somnolentos, aut saltem carnaliter superficietenus delinitos. Nempe non *in infirmi-*

firmitate & timore, & tremore multo, prædicatio Christi cricifixi nobis peragitur (hinc nec in ostensione spiritûs & virtutis) ut majoribus (& Paulo 1. Cor. *II.* 1. 2. &c.) *sed in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, ex arte Rhetorica haustis, quorum cincinnis dum ornare quærimus (aliorum sanè exemplo) Evangelij doctrinam, evacuamus vim crucis Christi (1. Cor. *I.* 17.)

7. *Episcopos* habetisné, aut habuistisné posterioribus temporibus, quales ab initio? quibus nempe tantus inesset animas lucrandi ardor, tantaq; felicitas, ut intra paucos annos, & quidem inmedijs persequutionibus, tot florentes plantarent Ecclesias? Aut saltem qui quas à plantatoribus primis acceperant, providè rigando conservare in flore, aut rectè scirent, aut seriò studerent? Obeundo scil. Ecclesiarum visitationes creberrimè: non dicis causâ, sed serio scandala ubiq, præveniendi, ædificationem undiq; promovendi, desiderio. Eoq; Ordinis fulcra, Ecclesiarum Pastores & Patronos, nutantes confirmando, segnes excitando, exorbitantes in officij orbitam reducendo, omniaq; luxari incipientia rectitudini & soliditati suæ restituendo: atq; ita *non cessando nocte dieq; cum lacrymis monere unumquemq; & commendare Deo & Verbo gratiæ ejus*: qualiter fieri debuisse, Pauli exemplum docuit (Act. XX, 19. 20, 31. 32,) & factitatum à majoribus nostris

 fuisse.

fuisse, Lasicius testatur (Cap. *III.* §26. 27. &c.) *Ita ubi non defuit Paulus qui plantaret, & Apollo qui rigaret, non defuit Deus qui daret incrementum* (1. Cor. *III.* 6.) Ubi ergò nihil nisi decrementa videre est, imò ruinas jam, & rudera Hortuli nostri: quid nisi Plantatorum & Rigatorum defecisse diligentiam, eoq; divinam quoq; illam, incrementa laboribus dare solitam, recessisse benedictionem, dicendum est? *Tibi Domine justitia, nobis confusio faciei.*

8. *Patroni Ecclesiarum, Nobilitasq;*, formanturné etiam num qualiter olim? ut *plebejos antecedant, non contemnant; quibus imperant, eos adjuvent, non opprimant; fortunarum suarum non dominos, sed dispensatores, se esse sciant; subditorum sudoribus parta non dilapident, verùm illis in gloriam Dei, & proximorum subsidia utendo, inopum rationem habeant, à luxuria, prodigalitate, superbia, inhonestis lusibus, ebrietate, contentionibus, discordijs, alijs vitijs, omninò abstineant, generisq; splendorem Virtutum splendore ornent?* Talia docenturné, aut commonefiuntné, privatim quotannis, ut olim? (Cap. III. 26. & VII. 22.) Omnesné nunc Barones & Nobiles nostri, *ut Domus cujusq; sua Domini Ecclesiola sit, laborant? Neminemné hujus Ecclesiæ Episcopum agere, ad preces familiam (absente Pastore) congregare, inflammare, votuq; ad Deum conceptis præire, pudet?* (C. *VIII.*

VIII. §. 13. 14.) *Omnesné illorum Domos suas à scurris, susurronibus, adulatoribus, ebriosis, alijsq; inquinamentis, repurgatas habere student!* ut olim (Davidis exemplo, Psal. CI.) nostra sub disciplina Majores? (Lasic. VIII. §. 15.) Omnes enim tùm *Disciplinæ legibus subjacebant: peccare impunè licebat nemini, nec plus indulgebatur uni quàm alteri* Cap. VIII. 9.) At verò sancta hæc tempora ubi jam sunt?

9. *Auditores* ipsi, quantilla nobis horum superest manus, moribus ab alijs, extra Disciplinæ septa viventibus, differuntné aliquid? Suntné adhuc *Philippenses*, gaudium & corona Pastorum suorum? (Phil. *IV.* 1.) liberalitate in eos floridi? (v. 10.) aut *Galatenses*, oculos sibi eruere, & Paulo tradere, parati? (Gal. *IV.* 15.) Talem n. fuisse Unitatis nostræ populum olim, testatur Lasicius (Cap. *IX.* 14. & *XVII.* 17. & *XVIII.* 7 8.) Suntné adhuc *Thessalonicenses*, qui audita ex ore Pastorum suorum Verba excipiant, non ut verba hominum, sed ut Verba Dei? (1. Thess. *II.* 13.) ipsosq; sicut Angelos Dei, sicut Christum Jesum? (Gal. *IV.* 14.) Tales enim fuisse nostros quoq; laudat idem, (cùm alibi tùm Cap. *VI.* §19.) Suntné adhuc *Corinthij* illi experimento cogniti, quòd obedientes sint in omnibus? (2. Cor. *II.* 9.) Tales n. fuisse nostros, ducum suorum religiosè sequaces, deprædicat passim. Nũc autem quid? Vel

 com-

constantiam in agnita Veritate svadentibus, quotus quisq; obsecundavit? Et qui hic obsecundârunt, etiamné in alijs, quibus veritatis professionem debitis modis ornent, rebus? Eheu! Pro peccatis habere vitia, nisi tetriora illa quæ Mundus etiam ferre nequeat, nostrates jam nôlunt; nec sibi comessationes, choreas, luxum in vestitu & similia Evangelij (& exilij) dehonestamenta, prohiberi patiuntur.

10. In summa *mutati sumus*, *ut non ijdem videamur*. *Resurgeres jam Lasiti*, *imò tu Luthere*, *Melanchton*, *Bucere*, *Vergeri*, *Bucholcere*, *&c*, *quàm aliam videretis faciem Ecclesiæ illius*, *in qua fraterno charitatis vinculo colligata Ecclesiæ Apostolicæ spectastis faciem!* Nos autem sanctæ illius majorum simplicitatis hæredes, quid agimus? Nomen retinere sine re pergimusné? Utinam quot Ecclesiæ nostræ tribui à tantis Viris vidimus (Excerpto *XVI. XVII. XVIII. XIX.* &c.) laudes, tot conscientijs nostris inuri sentiamus stigmata! quorum dolor & pudor nos cogat, ut *aut esse denuò incipiamus*, *quod dicimur*, *FRATERNA EVANGELICA UNITAS*; *aut desinamus dici*, *quod non sumus! ne nobis aggravemus judicium*, *dissipandisq; penitùs nobis Deo demus occasionem*. Verè enim olim Fr. Lucas, pientissimus ille Episcopus noster, prædixit: *Non ab externa hostium persequutione*, *sed à neglectu Disciplinæ me-*

næ, *metuendam esse Unitatis ruinam* (suprà Excerpto *XIV.*) Non hostes igitur dissipârunt nos: sed nosmet ipsi. Nec reliqvias perdere poterůt illi (*Deo quod suum est*, *adversus omnes Mundi & inferorum furores conservante*, Lasit. *VIII.* Cap. *XXXIII.* § 4.) sed nos ipsi nos perdemus certò, nisi resipiscimus.

11. Nam quod nos ab alijs antè segregabat, *Disciplina Morum* fuit. Doctrinam Evangelij communem cum multis habuimus. Disciplina igitur, *Ecclesiæ* nostræ anima, si exspiravit, cadaver sumus; sepeliendum omninò potiùs, quam fovendum, ne fæteat. Verùmenimverò sepeliri nondum opus habet, quod ægrum quidem est, adhibitis tamen remedijs sanari potest. Laxata enim licet sint Disciplinæ apud nos vincula, nondum tamen soluta, nedum sublata: reparari autem potest, quod amissum non est, luxatum duntaxat est. Ergò nos jam hôc statu insonet vox Dei: *Remissas manus*, *& soluta genua*, *erigite*; *& gressus rectos facite pedibus vestris*, *ut ne quod claudum factum est penitus deflectat*, *sed potiùs sanetur* (Heb. *XII.* 12. 13) Hoc nisi agitis, Vos potissimùm qui dispersi gregis Pastores cladibus superestis, audite aliam Dei vocem: *Væ pastoribus Israël*, *qui infirmum non solidatis*, *ægrum non sanatis*, *confractum non alligatis*, *abactum non reducitis*, *quod perijt non quæritis*, *&c.* (Ezech. *XXXIV.* 2. &c.)

13. Uni-

12. Universalis, prorsus universalis emendationis, omnium nostrûm, ô Fratres, in omnibus corruptelis nostris, tempus nunc adest! alia tempora, aliasq; occasiones, ne exspectemus: nî deperdere quicquid in nobis reliqvum est, perireq; nos ipsos, volumus. Revelavit enim nobis Deus in castigandis nobis finem suum: ut *subjecti ejus sceptro, seu virgæ, reducamur in vincula Fæderis* (Ezech. XX. 37.) *Doloresq; immissos Ecclesiæ, dolores esse parturientis, ad enitendum novos, ad voluntatem Dei regeneratos, filios* (Oseæ XIII. 13.) Felix igitur partus, qui citò erumpit ad inchoandam vitam novam: infelix (& ut Deus ibidem loquitur, insipiens) qui diu hæret in ore matricis; tardus renasci, & suffocationis periculo exponens seipsum. Renascamur igitur per salutis amorem, ne nos diu parturientis matris dolores diu premant, tandemq; opprimant. Emendemus nos ultrò, antequam nos in impœnitentes, atq; etiam securitatis somno oppressos Jonas, desæviens ira Dei opprimat.

13. Quæ prima est celeris nostræ conversionis causa, ut ab interitu nos, & reliquias, servemus, si præveniri ultima eversio ad huc potest. Quod si autem eô nobiscum ventum est, ut veluti nimis diu Deo refractarij Jonæ in procellosum mare præcipitandi simus omnes, antequam rebus Ecclesiæ redeat serenitas: ut tamen potiùs deprehen-

prehendamur pœnitentes, quàm obstinati; & moriamur reconciliati Deo, quàm iræ obnoxij: excipiendi saltem æternæ salutis portu, si ad vitam præsenrem enatare non contingat.

14. Tandem, sive vivimus sive morimur, ut nihilominûs tamen hoc bonum quod concrediderat Deus Ecclesiæ nostræ, conservemus ab interitu, & si possumus, quâcunq; ratione possumus, commendemus Ecclesijs: eoq; vel pereuntes assequamur desideria majorum: ut bonum hoc desinat esse privatum, quorundam tantùm peculium, incipiat esse commune & publicum. Reditu ergò solemni unde digressi sumus, etiam morituri, reformemus nos: hoc est, condamus Testamentum, & obsignemus illud morte. Fieri sæpè solet, ut hæres meliùs bona dispensare sciat, quàm possessor primus, si nimiùm tenax fuit. Neq; nos Dei consilium, cur interire nos sinat, si interire siverit, serutari possumus. Hoc scimus: Samsonem plus damni dedisse hostibus moriendo, quàm vivendo (Judic. XVI. 30.) Ipsumq; Dei filium, ut deleret mortem, voluisse mori: testatum, non aliâ ratione naturalium quoq; rerum fieri multiplicationem, nisi ut moriantur semina, borumq; demû morte vitam acquirant nova germina. (Joh. XII. 24.)

15. Nemo igitur cogitet, *Serò deliberari de salute, ægro jam expirante: Serò de Candelabro*

loco non movendo illo jam dimoto, terræ alliso, confracto, proculcationi dato. Potentia enim Dei mortuos etiam vivificare potest, ut in Ezechielis patuit ossibus (Ezech. XVII.) Etiam vasorum testas conglutinare novit artifex noster, ut ostensum est Jeremiæ (*XVIII.* 1.) Etiam è succiso trunco producere surculos in Arbores novas surrecturos (Jes *XI.* 1.) Et quis scit, utrùm nos penitùs mortui, Vas penitùs confractum, Arbor penitùs succîsa, simus? Moribundo sanè similem esse Ecclesiam nostram, patet, sed adhuc tamen spiranti; Vasi conquassato, adhuc tamen partibus cohærenti; Arbori cujus decîsi ac decussi sût rami, radicibus jam quoq; intentato ictu, cujustamen & radices hærent, & trunci ramorumq; partes vigent adhuc. Cur ergò desperemus penitùs? Etiam Amos Propheta in præviniendâ ira Dei tardior fuit, nec tamen omninò fructu cassè. Vidit n. Dominum parantem locustas, & tacuit: Vidit & emittentem, tacuit. Demùm cùm videret devoratas herbas terræ, exclamavit; *Domine Deus propitius esto, obsecro! quis manebit Jacobo? nam parvulus est.* Misertus ergò Deus, dixit, *Non erit hoc.* Audivit eundem Dominum advocantem ignem ad judicium: demum autem postquàm devoratam abyssum magnam vidisset, exclamavit, *Desiste obsecro! nam quid erit Jacobo reliqvum?* Misertusq; est Deus, & destitit (Amos *VII.* 1. &c.) Esto igitur: tacuerimus nos etiam, donec nostra quoq; consumta sunt prata, horti, campi, abyssus: an ideò tamen æternùm tacebimus? de iræ Dei sistendo incendio nunquam soliciti erimus?

16. Nemo etiam dicat, *Amisimus Ecclesias, & quid igitur reformabimus.* Non n. quia Ecclesias amisimus, etiam Ecclesiæ decorem amittere necesse est. Reduci decor hic potest, sive in idea Ordinis vera, verè luci exposita: sive in reformatis verè quantilliscunq; Ecclesiæ reliquijs. Etiam ubi duo tresvè congregati sunt in nomine Christi, Ecclesia est, præsentem habens Christum (Matth. *XVIII.* 20.) Etiam ubi Petrus plures centum viginti hominibus non habet ad convocandum, Ecclesia catholica est, vacantias explendi potestatem habens (Act. *I.* 15. &c.) *Dispersi sumus?* Non ideò necesse est pietatis studia dispergi? coadunari potiùs ad solidam Fidem, Spé, Charitatem, omnia. *Sed ad tantam paucitatem redacti sumus?* Etiamsi unus superfit, solitudine tamen ejus non minuitur Verbum Fidei: ut olim exprobrantibus dixit, qvum solus hæresi non sub scriberet, Liberius Episcopus. Quinimò meliùs inter pauciores, ut alia, ita pietatis studia, coluntur: quia turba, ut alibi ita hîc, turbat; dum proniores omnes ad malum, alienis exemplis segnescimus faciliùs, quàm ignescimus. Hinc illud

Scripturis solemne, *RELIQVIÆ CONVERTENTUR, RELIQVIÆ SALVABUNTUR*, (Vide Jes. *X.* 22. Am. *IX.* 8. Zach. *XIII* 8. 9. Rom. *IX.* 27. & alibi) quasi non possit etiam fieri, ut conversio & reparatio fiat, nisi submotâ turbâ, à residuis illis qui relinquentur (vide Ies. *I.* 4. adio.) Addit Deus, *Jesajæ X.* 22. *consummationē* (seu *consumtionem*) *inundaturam justitiam*. Nempe cùm Deus parcit, securi homines fiunt, & prolabuntur: cùm verò exercet judicia, excitantur, & discunt justitiam (*Jes. XXVI.* 10.) Discamus igitur justitiam nos quoq; qui judicijs Dei superstumus! consumtio nostri tam horrenda inundet super nos quoq; justitiam!

17. Neq; sit qui dicat, *In angustijs versamur nunc. In angustiâ n. tempus est requirendi Dominum, ipsâ castigatione premente nos* (Jes. XXVI. 16.) Si jam non convertimur, quando igitur? an castigationibus exempti? Atqui non eximet Deus nō conversos? (Jer. V. 7. & alibi.) Aut si etiam (pro multitudine misericordiæ suæ) eximat, nō erimus tùm conversioni idonei, per alia rursum dilapsi. Cogitetur & hoc: *Corruptæ rei emendatio non fit nisi reditu ad principia sua.* Nostra verò Ecclesia in persequutionibus fuit nata, crevit, floruit; in pace emarcuit. Reddita ergò angustijs, reviviscat: aut resuscitari non posse, nec unquam resuscitandam, patebit. Quia formosa fuit *inter tribu-*

tribulationum squalores, similis alis columbæ deargentatæ, cujus pennæ sunt ex auro fulgente Psalm LXVIII.) *sed adusta pòst à tranquillitatis sole, decolorata & fusca facta fuit* (Cant. 1. 6.): reducta igitur nunc jam rursum ad squalores, candescat iterum, resumatq; faciem pristinam; nisi *Æthiopum atrorem induisse, & pellem mutare jam non posse*, videri velit (Jer. *XIII.* 23.)

18. Vos gregis Pastores præite cæteris Exemplo, Voce, Disciplinæq; sanctæ prudenti usu. Si ab Ordine Vestro somnolentiæ, & dehinc corruptionis, factum fuit initium, fiat & vigilantiæ, & ad se reditûs. Solet autem à Capite fieri derivatio pravi humoris ad reliqua membra. Ergò ne per Vos ægrescat Ecclesiæ Vobis commissæ corpus, Vos ipsi ægrotare primùm desinite. Hoc est, antequam reformetis populum, reformet Vestrûm quisq; seipsum, Conscientiam suam, Conversationem suam, Contuberniumq; suum, sive Domum suam: ut omnia ad beneplacitum Dei composita sint, & Vos conscientiam habeatis illæsam, grex autem Vester Vos in omnibus ut vivum actionum suarum exemplar intueatur. Hoc nisi egeritis, omnes reliqui conatus frustra erunt. Hinc optimus doctor Christus *priùs cæpit facere, quàm docere* (Act. 1. 1.) dicturus pòst, *Exemplum dedi Vobis, ut quemadmodum ego feci faciatis* (*Joh. XIII.* 15.) Utq; quos loco suo reliquit Ec-

clesiæ dicere possent idem jussit eos esse *Sal terræ*, h. e. incorruptos in se ipsis, & conservantes à corruptionibus alios (Matth. V. 13.) item esse *Lucem mundi*, lucereq; ita, *ut homines bona eorum operavidentes, glorificent* (imitando) *Deum in cœlis* (ibid. v. 16) Nisi ergò Minister Christi eodem modo quô Christus (ipsô scilicet intimo affectu, vultu, oculis, vitâ & operibus) docuerit ea, quæ docuit Christus, Christi opus agere quomodo dici poterit? Quæ autem illa? *Homini Christiano non esse ambienda hujus mundi bona, Opes, Voluptates, Honores: quippe transitoria, in quibus figi non liceat; & vanitatis veneno infecta, quibus sine periculo frui non liceat: sed extendendum esse desiderium in bona futura, quippe sola solida, secura, æternùm duratura. Neq; Christiano esse fidendum ullis mundanis præsidijs, sed totum oportere pendere de cœlo. Vivendumq; illi ad regulas non mundi, sed Christi: Omnes homines diligendo, & omnibus benè optando; etiam malis, etiam hostibus; beneq; merendo etiam de malè merentibus, benè precando etiam malè precantibus. Injurias declinando potiùs, si licet, quàm vi depellendo: si a. declinari nequeunt, tolerando non autem retaliando; omnemq; malignum affectum superando & corrigendo benignitate. Vitam corporis non amando nimis, quippe laqueis plenam: mortem non timendo, quippe quæ nihil in Christum credentibus nisi ad vitam meliorem transitus est, &c.*

Hæc qui factis docet, verus Christianus doctor est, in veram Christi imaginem homines transformare gnarus.

19. Addenda tamen sunt factis Verba, tanquam Exemplis illustrandis Regulæ. Ergò totum Concionatorium opus eô tendat unicè, dilecti, *ut parturiatis Deo filiolos, donec formetur in illis Christus*, (Gal. IV. 19): aliô si quis collimat, aberrat à scopo, & rem agit quæ ignis examen non sustinebit. Felices hîc etiam Apostolorum imitatores, patres nostri, bono nos collocârunt fundamento, super immotâ rupe CHRISTUM: nec fundamento huic superædificare docuerunt Opiniatiuncularum, aut Ceremoniolarum, fœnum & stipulam; sed *purissimæ Fidei aurum, fulgidæ Charitatis argentum, inconfuseq; & inconfundendæ Spei gemmas*. Ergò si quid se antehâc stipularum humanâ imprudentiâ admiscuerat, id probationum igne exustum jam esto: *iterum ad auri, argenti, gemmarumq; superædificationem revertamur*. Sin, exuremur ipsi quoq; justi furoris Dei igne. Nec propter nos, culpâ nostrâ pereuntes, Christo deperibit quidqvam sui: cui solemne est rebellante semper Mundo, semper tamen extendere Ecclesiæ regnum, nobis quâ id virtute fiat ignorantibus.

20. In eodem autem Concionatorio opere mementote Fratres verborum Dei ad Jeremiam:

Si separaveris pretiosum à vili, sicut eos meum eris, Convertentur illi ad te, & tu non converteris ad eos (Cap. XV. 19.) Hoc est, si non humanæ sapientiæ quisquilias protuleris, sed è thesauris meis pretiosa, addam ego verbis meis pondus, ut non obsistere valeant spiritui loquenti: quinimò converti necesse habeant, &c. O dilecti, quantum est quod hîc promittit Deus? Quis non optet esse os *Dei?* Esse autem potest Vestrûm quisq;, modò nomine Dei non alia proferat verba, quàm profecta ex ore Dei (Ezech *III. 17. & XXXIII. 7.*) Ubi autem nunc nisi in Scripturis loquitur Deus? *Scripturas igitur divinas Vobis facite Pandectas Vestras, Thesaurosq; tam sapientiæ quàm eloquentiæ Vestræ?* Loquantur alij, si volunt, phrasi Ciceronianâ, Demosthenianâ, & quibus volunt: Vobis cum Mose, Davide, Jesajâ, Petro, Paulo, Christo loqui, perpetuum sit, juxta regulam, *Si quis loquitur, loquatur ut eloqiva Dei*, (1. Pet. *IV.* 11.) h. e. divina tantùm verba, divinâ tantùm intentione, divino charitatis fervore, proferat: divinam experturus in convertendis hominibus virtutem. Verbum n. Dei, rectè adhibitum, *Ignis est, exurens humanarum vanitatum paleas: & Malleus conterens atq; conquassans duri humani cordis petram* (Jer. *XXIII.* 29.) Quæ omnia eô tendunt, charissimi, ut præ omnibus humanis scriptis divina, majorū exemplo, ametis: omnia vestra dogmata,

sententias, phrases, verba, apices, inde haurientes. Et sentietis spiritûs divini ad vos redeuntem, & per vos quicquid libuerit operātem, vim. (Jes. LV. 10. 11.)

21. Etiam rogandi estis, ut à polemicis ad populum Concionibus, uti ante hác, ita pòst etiam, abstinere velitis. Infeliciter mos iste à pruritu ingeniorum invaluit alibi, ut diligentiùs dedoceant, quàm doceant; opercsiusq; destruant, quàm struant; & libentiùs odia instillent, quàm dilectionem: contra Christi & Apostolorum exemplum, & cum evidentissima pietatis noxa, & charitatis Christianæ in populo Christiano exinanitione. Vobis hic etiam Patrum nostrorum pia simplicitas, & simplex pietas, vereq; Pastoralis indoles, imitanda est: qui maluerunt simplices mansvetarum Ovium esse Pastores, cum Jacobo; quàm subtiles ferarum Venatores, cum Esavo. Maluerunt cum Salomone ædificando Dei Templo navare operam, quàm cum Davide prælia prœliari: (tametsi Domini bella viderentur, quæ alibi alios contra alios sine fine continuare viderunt.) Maluerunt rixarum scintillas & fomenta neglectu suffocare, quàm intempestivi zeli ventum afflando incendia excitare, aut fovere. Maluerunt inter suos fraternæ concordiæ triplicatum funiculum, non facilè rumpendum, contexere, quàm cum alijs funem infaustæ contenti-

onis, à Christo suis prohibitæ, trahere. Maluerunt deniq; suos circa Arborem Vitæ continendo, permissis bonæ Conscientiæ voluptatibus lactare, quàm circa Arborem scientiæ boni & mali circumductando, vetitis curiosarum quæstionum delicijs pascere. Lubentes ignorare voluerunt ea, quæ sunt *Cathedræ Scholasticæ*; ijs quæ *Cathedræ Ecclesiasticæ* sunt contenti: opinatiq; Deo magis placere credulum cor, quàm curiosum caput; conflictari homines docuerunt non cum alienis erroribus, sed cum proprijs vitijs: certi, *Christum extremo illo die, non quid hîc didicerimus, sed quid egerimus, exquisiturum* (Matth. XXV. 35 &c.) *ut referat unusquisq; quæ gessit in corpore sive bonum sive malum: hominibus igitur timorem suaserunt* (2. Cor. V. 10, 11.) In summa, sufficere sibi credebant imitari Paulum, *omnia præter Christum crucifixum ignorare optantem, hunc solum suis ob oculos depingentem* (1. Cor. II. 2, Gal. III 1.) Hoc igitur & Vobis sufficiat: ita veris veri Christianismi doctoribus futuris.

22. Nec verò tantùm docere Evangelium aut vivere secundùm Evangelium, sed & *urgere Vestros ad conversandum dignè Evangelio* (Phil. I. 26) *debetis qui potestatem ad redigendum omnia in obsequium Christi accepistis* (2. Cor. X. 4. &c.) Remissi hîc fuistis nonnulli, hominum metu ad omnia conniventes: excitate Vos. Alij quid ve-

ra Disciplina sit ignari, tetricâ quâdam severitate omnia expedire voluistis: corrigite Vos. Utroq; n. modo, ut alibi ita hîc, peccatur, *defectu & excessu*. Disciplina nulla, laxat & luxat omnia, licentiæq; peccandi portas pandit: quia ubi licet quod libet, libet plerumq; quod non licet. Severior autem justô Disciplina, violentam extorquēs obedientiam, spontaneæ pietatis inimica est, facitq; aut hypocritas, formidine duntaxat pœnæ peccare metuentes; aut obstinatos, pœnas contemnentes, & ne has extimescere habeant necesse, Ecclesiam ubi Disciplina viget deserentes. Ubi ergò Disciplina nulla est, Ecclesia sensim labascit; ubi nimia & violenta, violenter dissipatur: atq; sic utroq; modo perit. Vos igitur dilecti *habete Salem in Vobis, sed & habete Pacem inter Vos*: utrumq; mandante Christo, Marci IX. 50: hoc est, habere Disciplinam in Vobis, sed talem quæ pacem afferat Conscientijs, non turbas, non violentiam, non odia, non dissipationem. Et quæ id unicuiq; fideliû sit, quod eam esse scripsit Beatus Cyprianus: *Custos spei, Retinaculum fidei, Dux itineris salutaris, Fomes ac nutrimentum bonæ indolis, Magistra virtutis; quæ nos faciat in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, & ad promissa cœlestia divinaq; præmia pervenire: quam & sectari salubre sit, & aversari ac negligere lethale.* (Cypr. libro de Disciplina & habitu Virginum.)

23. Talis autem esse non poterit, nisi ad exemplar Apostolicæ, tùm mansvetudinis tum severitatis, composita. Qvalis autem illa fuit? Id è Paulinis Epistolis inprimis discendum venit; observando quàm ille (non minoris esse virtutis sciens, parta tueri, quam parasse) quoscunq; per Evangeliū Christo genuerat, pari studio ad Christum perpetuò revocans, jam Apostolicâ authoritate sæviat, corripiat, objurget, minitetur deniq; ac terreat; jam paterno affectu blandiens, exhortetur & obtestetur; necessariæ reprehensionis acrimoniam laudis admixtu leniens, & sapientum Medicorum exemplo amarum absinthij pharmacum prælito melle condulcans, ac singulis malis singularia quædam, singulariter opportuna, remedia admovens. Ita nusquam non Christi negotium agit, nusquam non gregis sui commodis consulit; fidi Medici ritu nullum remediorum genus non adhibens, quô perfectam suis restituat sanitatem. Ut verè tandem gloriari posset, se in omnibus functionis suæ partibus nec se, nec sua quæsivisse, sed salutem eorum, *quorum non pædagogum egit, sed patrem.* (2 Cor. IV, 15.)

24. Vos ergò charissimi mementote, datâ Vobis potestate similiter utendum esse, *ad ædificationem, non ad destructionem* (2. Cor. XIII. 10.) Quod esse non poterit, nisi illâ utamini, *I. Purè*, sine affectu, in alios sic in alios aliter inclinante: sed quemadmodum Sol cœlestis omnia inferiora ijsdem radijs intuetur, ita Vos in omnes Vobis creditos pariter affecti, communi omnium saluti pariter in vigilate: ne ullis in grege vestro factionibus, aut diffidijs, vel mutuis diffidentijs, occasio relinquatur, nedum per Vos ipsos suppeditetur. 2. *Prudenter & circumspectè*, secundùm rerum, personarum, temporum, circumstantiarumq; necessitates; severitate, aut rursum blanditie, jam intensâ jam remissâ. Iterùm ad Solis cælestis imitationem: qui non semper clarè fulget, & blandum ostentat vultum; etiam caput obvolvens nubilo, pluit aut ningit, aut grandinat, tonat, fulminat. 3. *Constanter* deniq; non cessando per socordiam in attentionis opere; ad quasvis corruptelas, & corruptelarum occasiones præveniendum potiùs, quàm violenter emendandum: imitatione rursum cœlestis Solis, inferiorum omnium moderatoris. Qui abdat se licèt quotidie sub terram, quietem nobis concessurus; redit tamen quotidiè, nos ad munia revocaturus. Abscedat licèt à vertice nostro quotannis, requietem itidem Terræ, ad roborandum se, daturus: redit tamen quotannis, ad vegetabilium generationem eam reducturus. Ita conservatur Mundi vita: ita conservari necesse est Ecclesiæ vigorem; indefinenti Vestrâ, qui illi Soles dati estis, vigilantiâ.

25. Vos deniq; *populus noster*, quantillocunq; superestis numero, juvate sanctum hoc *Regenerationis* nostræ promovere *opus*, obsecramus Vos omnes. Peccavimus enim omnes, suo quisq; loco: resipiscamus ergò pariter omnes, suo quisq; loco: ut propitius omnibus nobis Deus, auferat ab omnibus iram suam. Commonefaciendi autem estis, omnia fraternæ nostræ Unitatis membra; *Quomodo rebus nostris hucusq; deductis gerere se nostrûm quisq; debeat*,

I. Erga seipsum, in Christianismo suo.

II. Erga Confratres, eadem adhuc (miserè persequutionum undis conquassata) navicula nobiscum vehentes.

III. Erga alios fratres Evangelicos, eorumq; Cœtus.

IV. Erga illos, qui sibi nos scopum fecerunt, ad quem collimando, & quem impetendo, everterent.

V. Erga Deum deniq; talia nobis immittentē.

26. *Ante omnia*, charissimi, non immeritò omnes Vos oramus, ut ne quem *tam pulchris elogiis decoratæ Ecclesiæ membrum esse pœniteat, vel pudeat: tametsi laudibus illa suis minor facta sit.* Redeundi enim ad amissum decus stimulus erit, gratiam Dei nobis olim factam æstimare dignè. *Dehinc*, ut *vivum esse in Corpore hoc membrū summâ ope annitatur quisq;*: vanus alioqui futurus, eo

q; majorem ignominiam & judicium, reportaturus. (Quid autem sit esse inter nos, aut dici, fratrem & sororem Christi, dictum est suprà, §. 3.) *Tum ne quis sibi invideat in hac Ecclesia, & cum illa, passionum Christi esse consortem*: quæ gloria nostra sunt, quibus id gratis datur dono Dei, ut digni habeamur non tantùm credere in Christum sed & pati pro illo (Phil. *I.* 29.) *Nec igitur moveatur quisquam in tribulationibus istis*, qvum in hoc positi simus (1. Thess. *III.* 3.) tametsi majora etiā perferenda sint prolspe gloriæ; aut non inveniendus sit afflictionū finis nisi in altera vita, ad quā vocati sumus; qvū non propter hāc præsentē speremus in Christum (1. Cor. XV. 19.) *Cavete tantùm* charissimi, *ne coronam martyrii Vestri commaculetis indignâ martyribus vitâ*. Desinite Christianismum vestrum dedecorare (quemadmodū nonnulli cæpistis domi, & continuastis in exilio) Religionis frigore, & ad mundanarum rerum consectationem calore; intemperantiâ item, fastu, & erga invicem asperitate; fucati veriùs, quàm veri, Christi fratres. Discamus, ò discamus jam tandem post deflagrationem stipularum nostrarum, quærere solida, non fucum; & non hærere in Religionis cortice, sed penetrare ad ejus medullam. *Fidem veram*, per *Charitatem* efficacem, & *Spem* ad cælestia sese erigentem, terrena proculcantem. Ut Fides nostra veritatis suæ te-

stem habeat Vitam nostram: Vita autem per jugem Pœnitentiam, & in cruce Patientiam, ostendat Innocentiam nostram, lætæ in Deo exultationis fontem: *Quicunq; relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur* (Jes. IV,3)

27. Qvantùm ad alterum, utinam Apostolicum illud usurpare liceat, *De Charitate in fratres non necesse habemus scribere vobis; ipsi enim vos à Deo didicistis, ut diligatis invicem* (1. Thess. IV,9) Et quæ sint mutua eorum, qui in eadem vera Ecclesia vivunt, officia, exemplo membrorum in eodem vivo Corpore connexorum docuit Apostolus (1. Cor. XII.) *Concordia* nimirum *decet omnes*: ne sibi invicem ulla Dei dona invideant; ne se invicem ullam ob causam odio habeant, mordeant, premant, injurijs afficiant: mutuam potiùs in omnibus ædificationem solicitè quærant. Id quod fit, *ignaros docendo, ignavos exhortãdo, aberrantes revocando, lapsos erigendo, delinquentes increpando, mæstos consolando, & quævis alia aliorum onera portando*, & *sic legem Christi adimplendo*: *benefaciendo etiam reipsâ maximè domesticis fidei*, inquit Apostolus (Galat. VI. 2. 10.)

28. *Quid autem cæteris?* Nostrum est, dilecti, *omnes diligere*, *omnibus benè velle*, *omniumq; commodis, quantum datur, servire. Hominibus, quia homines; Christianis, quia Christiani; Evangelicis quia Evangelici sunt.* Utq; prosimus vel exemplo, vivamus inter homines ut homines, nõ ut belluæ; inter Christianos ut Christiani, non ut pagani; inter Evangelicos ut Evangelici, non ut Pharisæi. *Qvantum ad hos in specie, infelici (eheu!) schismate dissectos: si non reducere in concordiam possumus utrosq;, concorditer saltem vivamus cum utrisq;, majorum exemplo.* (Nec enim quorum conciliare non possumus amorem, eorum asperare odio Christianum foret.) Maluerũt majores nostri vivere secundùm Fidem, quàm altercari de fide: quod rem sine exitu esse monuerunt, nosq; id verè fuisse prædictum, alterius jam seculi exemplis docti sumus. Non enim sublatæ, sed fixæ sunt, lectæ; auctæq; rixandi materiæ, dum non obstabatur principijs; & multiplicata atrociter odia; irritatus etiam DEus, & devocatæ cælitùs pœnæ. Utinam resipiscant, à quibus hîc peccatum est! Quòd si nôlunt illi, at nos; apud quos *jam ab initio non fuit sic. Ergò neq; nunc sit: nec unquam.* Accusat quidem nos altera pars, degenerasse nos à Patrum vestigijs, non esse eosdem quibus Lutherus fraternitatis dextram junxisset. Quod equidem agnoscimus ac deploramus: at non sensu illorum, qui nunc ista contra nos eô torquent, *quòd non ejusdem Evangelij consortes odijs prosequi eos juvemus*, (id enim nec majores fecerunt); sed quòd pietatis studia, tam ferventer illis culta, apud nos refrixerunt: & ob quod

quod illi Viris sanctis amore (partim etiam admiratione) digni visi sunt, id in nobis conspicuum non ampliùs est. Premendo nihilominùs majorum vel eminùs vestigia, eô nos, ut alienæ scientiæ vel conscientiæ nos constituamus magistros, abripi ne patiamur.

29. Imò *ne intricari quidem controversiis, adeoq; non audire etiam contradictionum strepitum, tutissimum fuerit.* Quia *disputationes istæ* (de illis nunc loquor quæ Evangelicis intercedunt, Lutheranis & Calvinianis, ut dici volunt) *sunt res, primùm inutilis; secundò illicitæ; tertiò noxia. Inutilis,* quia ad Christianismum nihil confert. *Illicita,* quia à Spiritu Christi prohibita. *Noxia,* quia cum jactura melioris boni conjuncta. De singulis dicendum explicatiùs.

30. Christianismi cardines divina Sapientia posuit tres, *Fidem, Charitatem, Spem.* Hæc tria ab omnibus salvandis requirit, præter & ultra illa nihil. *Fidem*; ut quicquid revelavit Deus, firmiter credatur. *Charitatem*; ut quicquid mandavit, alacriter obeatur. *Spem*; ut quicquid promisit, fidenter, & cum exsultatione, exspectetur. Hanc esse omnis divinæ revelationis, totiusq; viæ salutis, summam, patet ex universis Scripturis: in quibus nihil uspiam reperire est, quod non ad hæc tria referri possit, referriq; habeat necesse. *Videantur loci, ubi tria hæc junctim exstant.*

1. *Cor.*

1. Cor XIII 13; Ephes I. 15. 18. 1. Thess. I. 3. & v. 8. & 2. Thess. I 3. 4. Coloss. I. 4. 5. Tit. I. 1. 2. 1. Pet. I. 3. 5. 8. item 21, 22. Judæ v. 20 21. Act. XXIV. 14. 15. 16. imò & in formula Fœderis, cum fidelium patre Abrahamo inito, Gen. XVII. 1. cum adjuncto versu 1. Capitis XV. Jam autem ad Fidei firmitudinem quid quæso confert, articulos Fidei in minutas quæstiones concidi? in varios inde elici possibiles sensus discerpi? deindeq; illos ipsos diversos sensus, in conspectu mentis inter se committi, collidi, conquassari? An ut meliùs, quid verum sit aut non sit, pateat? Ajunt. Atqui nihil facilius est, quàm firmissimas etiam columnas quassando vacillare: evidentissimas etiam veritates contradicendo in dubium deduci. Nec enim ulla Veritas esse potest tam clara, quin sophismatum nebulis involvi, eôq; infirmari, queat: nec ulla Disputatio tam sincera, quin studium vincendi ad sophismata deflectere, falsisq; veri colorem affricare, audeat. Atq; tum fidei simplicitati, qualem requirit Deus, quid fiet? Certè *pro fide opiniones* prodire necesse est: credendo aliquid, non quia Deus dicit, sed quia rationi consonum videtur. Sapienter Erasmus: *Olim credebatur Philosophia Christiana, non disputabatur. Et pia simplicitas hominum, sacrorum Voluminum oraculis erat contenta. Nec egebat variis præscriptis ultrò prompta charitas, OMNIA CREDENS,*

DENS, NUSQUAM HÆRENS. Ecce sancta priscorum Christianorum simplicitas, *Omnia credere, nusquam hærere!* Ad quam auream Fidei simplicitatem, optandamq; securitatem, si revertimur, theatricis illis de Fide digladiationibus quid opus? De quarum origine, usuq; & abusu, ita pergit Erasmus ibidem (præfatione in Paraphrasin super Epistolam ad Ephesios): *Mox Theologiæ patrocinium capeßebant humanis instructi disciplinis, sed fermè his, quas hodie Rhetoricas vulgus appellat. Paulatim magis ac magis adhiberi cœpit Philosophia: primùm Platonica, mox Aristotelica. Cœptum quæri de multis, quæ vel ad mores, vel ad cœlestium rerum speculationem, pertinere videbantur. Quæ res primùm visa est propemodum necessaria. Ac sensim eò succrevit, ut plerique neglectâ lingvarum ac politioris literaturæ peritia, imò neglectis divinis voluminibus, in curiosis, supervacaneis, & immodicis quæstiunculis, velut ad Syrenæos scopulos consenescerent. Jam ars esse cœpit Theologia, potiùs quàm sapientia: theatrica veriùs quàm ad veram pietatem accommoda. Hanc præter ambitionem, & avaritiam, vitiârunt aliæ pestes, adulatio, contentio, ac superstitio. Quibus rebus ubi tandem eò ventum est, ut Christus ille purus, propemodum esset obrutus humanis argutationibus, ac limpidissimi quondam evangelicæ doctrinæ fontes, Philistæorum scrobe oppleti, divinaq; scripturæ certissima*

tissima regula, nunc huc, nunc illuc detorta, nostris serviret affectibus magis quàm gloriæ Christi, quidam piâ certè mente conati sunt orbem ad pristinam studiorum simplicitatem revocare, atq; à lacunis jam ferè turbidis, ad vivas illas ac purissimas scatebras reducere. Rectè igitur idem alibi (præfatione in Johan.) *Hæc* (revelata scilicet diviniùs mysteria) *simplici fide tenere, vera Christiana philosophia est: hæc puro corde venerari, vera religio est: per hæc tendere ad cœlestis vitæ meditationem, pietas est: in his perseverare, victoria est: per hæc vicisse, summa felicitas est.*

31. Præsertim, qvum articulis, quos inter se disceptant (infelici quâdam sorte huc delati) Evangelici, nihil tantis dissidijs dignum inesse, pridem deprehenderunt pientissimi Viri (Bucerus, Melanchton, alij) nostriq; cum illis majores. Convenit enim in illis ipsis articulis fundamentaliter, utriq; parti: si modò incidentibus obliquè quæstionibus semetipsos implicare, & suspiciosè alij alios exagitare, non induxissent animum. Nam tametsi circa quædam explicanda mysteria diversis, ac veluti contrarijs, utuntur loquendi formulis: postquam tamen utraq; pars pleniùs mentem explicavit suam, aut coincidunt revera in eundem sensum, aut tam propè distant, ut differentia notari vix possit. Si deniq; realis differentiæ superest alicubi aliquid, illud in modo

quorundam mysteriorum est: quem qvum Scriptura tam profunde, ac nos erutum volumus, nō detegat, etiam detegendum non esse credere, & curiositatem cohibere, debebamus. Nempe *si mysteria Fidei nostræ mysteria sunt, velamenta illorum non tolli ex toto, penitusq; intelligi omnia, oportet; nihil alioqui relinqueretur credendum, si intelligerentur omnia*, 1. Cor. II. 7. 1. Tim. III. 9. &c. *Inter virtutes Grammatici est, nescire quædam*; dixit Quintilianus. *Verius hic; Inter virtutes Theologi est nescire quædam; adorare potius, & cælesti servare Scholæ.*

[Nequis autem discordium istorum Fratrum ægre ferat, Controversias suas extenuari; aut nos tam esse tardos, qui rixarum suarum mysteria non intelligamus, existimet: ad speciem venire, & inutilitatem contentionum istarum commonstrare non gravabor: idq; Vestri in gratiam, ô Vos nostri, ut anxios in cassum labores commisereamini, & Vos talibus non distrahi gaudeatis.

I. *De Baptismo* utriq; secundum Scripturas fatentur, *esse lavacrum regenerationis* (Tit. III. 5.) *perquem consepelimur in mortem Christi, ut quemadmodum ille surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus* (Rom. VI. 3, 4.) Atq; *sic nos per Baptismum induere Christū, ut simus filij Dei per Fidem* (Gal. III. 27, 36.) *omnes unum corpus in Christo* (1. Cor. XII. 13.) *Et quod nos Baptismus salvos faciat, non carnis ablutione de sordibus, sed Conscientiæ bonæ stipulatione coram Deo* (1. Pet. III. 21.) Quid hic deest, si non ad curiosas quæstiones, *qua occultâ virtute Baptismus id in nobis agat*, descendendo, potius ut agat, solicitimus? O quàm præstaret operam dare, ut Virtus Baptismi se exserat in omnibus nobis! ut sacrati Christo, & abluti à sordibus, immaculatos nos conservemus à mundo; induti q; Christum, ambulemus in novitate vitæ, omnes unum corpus in Christo! &c &c

II. *De Cœna Domini* omnes fatentur, *Carnem Corporis Christi, pronobis in mortem traditi, esse verum cibum: & sangvinem ejus, pronobis in remissionē peccatorum fusum, esse verū potum. Quo cibo nisi quis cibetur, & potu potionetur, habere non posse vitam æternam: eos à qui edunt & bibunt consubstantiari Christo, ut cum illo unum fiant corpus, unusq; spiritus: ut quomodo Christus vivit per Patrem, ita ille vivat per Christum* (Joh 6. v. 51, 55, 53, 56, 57, 58.) Atq; hoc cælesti pabulo pasci nos in sacrosancta ejus Cœna: ubi *Panis, quem frangimus, est communicatio (seu communio) corporis Christi; & Calix cui benedicimus, est communicatio corporis CHristi*, Apostoli testimonio (1. Cor. 10. 16.) Quin secundum Christi edictum, *Panis est corpus* ejus, & Vinum sangvis ejus (Matth. 26 26, 28.) Ideòq; Mensam hanc esse *magnum mysterium, ad quod nonnisi magnâ reverentiâ & pietate accedendum sit* (1. Cor. 11. 28.)

ia ecce credunt omnes! Utrum autem assumatur Corpus & Sangvis Christi *ore tantùm Fidei*, an etiam *ore Corporis*, quid inquiri, eóq; opinionibus distrahi, opus? Semel novimus, Christū carnales in hoc mysterio cogitationes contempsisse (Joh. 6. 63.) Et confitentur utrinq;, *Oralem manducationem non salvare*: quia expresse Apostolus, *quos dāsibi manducare judicium* (1. Cor XI 29.) Rursus tamen novimus, *Corpora quoque nostra esse membra Christi, & templa Spiritûs sancti, redempta magno pretio* (1. Cor. 6. 15. 19, 20.) Ah cur frui hoc prædulci mysterio ad intimas animæ svavitates non sinimus alij alios, quàm optimè quisq; potest? Confratribus nostris, quibuscunque Christianis, quomodo sua illi inde hauriant solatia, liberum relinqvendo. Si quis hîc in simplicitate cordis aliquantô plus, aut aliqvantô minus, quàm oporteat, credit, aut sperat; cur non sufferimus nos, sicut Christus omnium nostrûm infirmitates tolerat? *Nemo se constituat alterius Fidei magistrum, ne majus judicium sumat: in multis enim offendimus omnes* (Jac. 3. 1, 2.) Præsertim in præsenti mysterio offendere alij alios cavere debebamus, qvum illud à communi hominum amatore eô fine, ut *amoris vinculum* esset, institutum sit. Quod quia satan, scelestus ille & perpetuus contra Deum machinator, ita pervertere, ut ex amoris inter nos vinculo dissidiorum ansam

ansam fabricare, potuit, omnes nos ingemiscere, tristari, & ut tandem non satanæ maledicta, sed Christi sancta intentio obtineat, omnibus viribus anniti, conveniebat. Nec tam soliciti esse nobis, *quomodo adsit Christi corpus*, qvàm dare operam *quomodo tantum hospitem excipiamus digrè*: ne quomodocunq; acceptus, indignè tamen acceptus, pro absolutione nobis judicium, pro vita mortem, ferat.

III. *De Persona Christi*, communis Salvatoris, piè utrinq; secundùm Scripturas creditur, *Deum & Hominem esse, una in persona Immanuelem*, θεάνθρωπον (Matth. 1. 28.): *cui data sit omnis potestas in Cælo & in Terra* (28. 18.) *ut in nomine Jesu Omne genu flectatur* (Phil. 2. 10.) Utriq; etiam solatio sibi contra satanam & inferorum portas credunt, *Salvatorem nostrum nobiscum esse ad finem usq; seculi* (Matth. 28. 20.) Totum inquā Christum, Deum & hominem: quia distractum Christum nemo cupit. Utrum verò Humanitas, æquè ac Divinitas, ubiq; præsens sit, ea de re cur verba facimus? Cur inquam quæstiones nobis movemus, quas non movet Scriptura? Christum, Deum illum & hominem, datumq; Cœlo & terræ judicem, ubiq; adesse, omniaq; intueri, ac regere, Scriptura docet, sed de alterutra natura seorsim ita loqui, Scriptura non docet: nec etiam in tremendo hoc Unionis hypostaticæ

 mysterio

mysterio intelligere omnia, nostrum est: quia sublimitatem divinæ essentiæ, & profunditatem mysterij manifestati in carne Dei, perscrutari quis confidat? (Psal. 139. 6. 1. Tim. 3. 16.) *Mel comedere multum, non est bonum: & scrutator majestatis opprimetur à gloria* (Prov. 25. 27.) Utinam vereri potiùs ubiq; præsentis oculos, quàm quomodo præsens sit litigare, animum inducamus!

IV. *De Prædestinatione* eô minus homines litigare conveniebat, quô imperscrutabilior abyssus sunt judicia Dei. (Psal. 36. 6.) Nam *cogitationes ejus de nobis mirabiles sunt* (Psal. 40. 7.) Quoniam tamen illa etiam abyssus in Christo detecta est, rectè hîc etiam, atq; unaminiter, utrinq; confitentur, quod secundùm spripturas credunt. Nempe (1) *Omnes nos in Adamo esse lapsos*, Rom. 5. 12. (2) *Deum omnium misertum*, Rom. II 32. (3) *Misisse Filium, per quem sibi reconciliaret Mundum*, 2. Cor. 5. 19. (4) *Ut quicunq; in eum credit ne pereat, sed habeat vitam æternam*, Joh. 3. 16. (5) *Eoq; solos credentes, omnes tamen credentes, salvari.* (6) *Fidem autem esse donum Dei*, Eph. 2 8. (7) Et quoniam *Deo opera sua nota sunt ab æterno* (Act. 15. 18.) *prævidisse Deum ab æterno quinam futuri sunt credentes* (8) *Quos itaq; præscivit, eos prædestinasse, conformes fieri imagini filij sui.* Rom. 8. 29. (9) *Dedisseq; Christo, ut oves Pastori, ut nequis eorum*

rum periret, Joh. 6. 39: & 10. 15. &c. (10) *Horumq; nomina scripta esse in Cœlis* (Luc. 10. 20.) *in Libro vitæ*, (Phil. 4. 3. Apoc. 3. 5: & 21. 27.) Hæc ecce omnes credunt.

Duæ tantùm supersunt quæstiones controversæ. Prima: *Absolutâne voluntate Deus elegerit, quos voluit, & præterierit quos voluit? an verò in Hominibus ipsis differentias observârit, cur hi eligendi, illi rejiciendi, forent?* Atq; hîc alij respondetis cum Christo: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic placitum est ante Te* (Matth. XI. 25.) Et cum Paulo: *Non volentis est nec currentis, sed miserentis Dei* (Rom. IX. 19.) Illum autem *cui vult misereri, & quem vult indurare* (v. 18.) quia *sicut Figulus potestatem habet in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas in honorem, aliud in ignominiā* (v. 21.) *ita Deus in nos* (Jer. XVIII. 6.) Alij rursus cum Apostolo respondetis: *Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* (2. Pet. III. 9.) *& salvos fieri* (1. Tim. II. 4.) Et cum Christo: *Jerusalem Jerusalem, quoties volui congregare filios Tuos, & noluistis* (Matth. XXIII. 37.) Item ex ore DEi: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur & vivat* (Ezech. XXXIII. 11.)

Altera quæstio est: *Possintné semel electi, &*

Libro vitæ inscripti, gratia Dei finaliter excidere, & è Libro vitæ deleri, necné? Ubi rursum diversè respondetis. Alij ex Apostolo: *Qui stat, videat ne cadat* (1. Cor. X. 12). Item: *Cum timore & tremore operandam esse salutem* (Phil. II. 12.) Et quòd David inimicis suis optat, ut *ex libro deleantur* (Psal. LXIX. 33.) Alij rursum cum eodem Apostolo: *Firmum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sint sui* (2. Tim. II. 19.) Et: *Deum donorum suorum, & vocationis, non pœnitere* (Rom. XI. 29.) Item ex ore Christi: *Ego Ovibus meis vitam æternam do, & non peribunt in æternum; nec eos quisquam rapiet de manu mea* (Joh. X. 28.) *Hæc enim voluntas ejus est, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam* (Joh. VI. 39.) *Electosq; virtute Dei per fidem custodiri ad salutem* (1. Pet. I. 5.)

In hoc ecce articulo dissensio videtur maximè notabilis: videtur tamen magis quàm est. Scripturæ enim sic in utramq; partem loqvuntur: verè autem loqvuntur, dictante ubiq; illo Veritatis spiritu, qui à seipso dissonare nunquã potest. Si ergò dissonantiæ aliquid esse videtur, id culpâ caliginosæ mentis nostræ, quæ illa velut opposité sibi dicta reconciliare nescit, ita videri statuendum est. Qvum itaq; utraq; pars, quod ad prædictas quæstiones respondet, ex Scripturis respondet, possent id in se invicem ita tolerare, quomodo utraq; illa dicta in Codice sacro utraq; pars tolerat: si modò charitas esset, & bona de invicem persvasio: non scienter volenter nimirum dissentire aliquem à Veritate, nec datâ operâ adulterari Verbum Dei, sed *ex sinceritate, & sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loqui, quod loquitur* (2. Cor. II. 17.) Me quod attinet, de utrisq; id sentio ex sinceritate, & tanquam ex Deo, & coram Deo, ita quemq; sentire & loqui, uti sentit & loquitur: quia in utrisq; finem bonum, cur potiùs sic quàm sic sentiant & loquantur, video: (si quid aliter alicubi se habet, judex & vindex erit Deus.) Etenim qui loqvutiones illas, *Deum simpliciter quos vult electione præterire*, audire horrent; manifestum est facere id metu, ne misericordia Dei blasphemetur: malunt itaq; sentire & loqui, paratum fore Deum omnes admittere, Homines autem nolle. Alteri rursum audent ita loqui: quia quomodo à tot apertis Scripturæ dictis dissentire liceat, non vident. Vident potiùs adaperiri nobis in horrorem imperscrutabilis justitiæ, sapientiæ, & disponendi de Creatura sua absolutè, liberi arbitrij divini impenetrabilem abyssum: metuentes ab altera parte, ne, si, electionem suam non uni misericordiæ DEi transcribant, ingrati reperiantur in eandem. Quoniam expressè Scriptura: *Prædestinatos esse nos in adoptionem Filiorum, per JEsum CHristum.*

stum, in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriosæ gratiæ suæ, in qua gratis sibi acceptos effecit &c. (Eph. I. 5. 6.) Item, *Nos gratiâ salvari per fidem, & id non ex nobis; Dei enim esse donum: Non ex operibus, ne quis glorietur* (Ephes. *II*. 8. 9.) Et quia deniq; efficacius pietatis incitamentum videtur, adeoq; praxi deprehenditur, si statuatur, Deum in nobis quos elegit, nihil præ illis quos dereliquit, videntem, elegisse tamen, ideò quia sic complacitum est illi (Matth. X*I*, 26.) ad ostendendum divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, præparata in gloriam (Rom. *I*X. 23. Vide plura Ephes. *II*. 11. &c.)

Similiter se res habet cum responsionibus ad alteram quæstionem. Alteri metuunt, ne se & aliqs in perniciosam præcipitent securitatem. Alteri, ne sibi & alijs solatium à Christo, contra omnium, à satana, mundo, carne, venientium tentationum procellas datum, (*Electos seduci non posse*, Matth. XX*I*V. 24. *Oves suas sibi neminem rapturum de manu sua*, Joh. X. 28.) eripi patiantur: tenent itaq; ut anchoram animæ tutam ac firmam (Hebr. V*I*. 19.) Omninò igitur patet, utrosq; id, ne gloriæ Dei, ne certitudini salutis suæ & proximorum, aliquid decedat providendo, Scripturisq; se defendendo, id quod in seipso pium, bonum, Deo gloriosum, Ecclesiæq; salutare est, agere.

Dicat

Dicat quis. *Necessariò tamen alterutra pars veriorem defendit sententiam: quia contradictoriarum utraq; simul vera esse nequit.* Resp. Forsan. Ego tamen eô tendo, in hac dissensione (circa Articulum hunc) nihil adeò atrox, absurdum, impium, blasphemum, occurrere, in hac vel illa parte, quod jure Christianam concordiam, tolerantiamq; & mutuam dilectionem, tollere debeat, aut possit. Plus dico: *Utrorum locutiones vero sensu veras, bonas, utiles esse*: quia utræq; ex Scriptura desumptæ sunt; & utræq; salutarem usum habent, suo loco rectè adhibitæ. Nempe in Pharmacopolio diversissima, adeoq; sibi invicem opposita, venundantur Medicamenta, depromunturq;, dum his opus hæc, dum illis illa. Cur è Myropolio Dei, usuq; Ecclesiæ, spiritualium illorum medicamentorum alterutrum sublatum, alterumq; duntaxat relictum, vellemus? Potiùs cogitare conveniebat, quô casu hoc, quô illud, usurpare conveniat? Si me urgere pergis: *Quomodo igitur utraq; contradictoria vera erit?* Respondebo cum Augustino, *Tu rimare, ego mirabor.* Deum nolle perire quenquam, credo. Neminem tamen non perire, nisi quem Pater traxerit, & Filio, ne eum perire sinat, donaverit, scio: Cur autem non trahat omnes, cùm possit, nescio. *Id* enim si qvisquam mortalium scire posset, potuissent Apostoli, primitias Spiritûs habentes.

Nesci-

Nescierunt autem: Si enim scivisset Paulus, non toties illa reconciliare pertentans (Capite *IX.* & X, & *XI*, ad Romanos) tandem exclamasset, *ó profunditas!* & in illa profunditate velut absorptus istis solùm verbis terminasset: *Illi honor & gloria!* Si quis se Paulo sapientiorem credit, disputare pergat. Nos (majorem exemplo) à profunditatibus illis nos retrahimus. Vosq;, ó mortales, hortamur, *cavete scrutari majestatem, ne opprimamini à gloria! Quæ abscondita sunt, Domino Deo nostro sunto: nobis manifesta sufficiant, quæ manifestata sunt ideò, ut faciamus ea.* (Deut. XX*IX*. 29.)

Neq; dico Scripturam contrarios continere sensus. Coram tamen Intellectu nostro apparenter contradictoria continere, certum est; & utile est, diversis in casibus. Ideò *Augustinus primò*, quando illi cum Manichæis, cœca quædam fata fingentibus, negotium erat, *Electionem Fidei superstruebat.* Quando verò cum Pelagianis, omnem in homine ad bonum aptitudinem naturalibus viribus adscribentibus, res illi fuit; *è profundissimis æternæ prædestinationis, secundùm merum beneplacitum Dei, & Fidem, & Salutem, & omnia, deducebat, potenterq; ex Scripturis demonstrabat.* Quis illi propterea inconstantiam, aut blasphemiam, impingere præsumet? *D. Luthero contrarium evenit.* Primùm quippe

cum

cum sophistis Semipelagianis congrediens, à sola nuda præscientia & præordinatione Dei salutem & damnationem omnium hominum pendere docebat: idq; cum magna vehementia & acrimonia, duriter etiam alicubi, ex Scripturis commõstrabat: (libro *de Servo Arbitrio.*) Postea verò, abusum videns, mitigabat sententiam, periculosumq; esse cum Deo nudo, extra Christum, congredi, demonstrabat (libro *super Genesin.*) Similiter *Melanchton*, duriter primùm de Prædestinatione scripsit, in Locis communibus Anno 1523 editis. Videns a. infirmiorum scandala, mutavit loquendi formulas: satis esse existimans, Homines ad Christum, Vitæ librum, deduci: potiusq; *quomodo vocationem & electionem suam firmam faciant, quàm quomodo de ea disputent*, docendos (2. Pet. *I.* 10.)

Sed & ipse Apostolus, in eadem ipsa ad Romanos epistola, utroq; docendi modo utitur. Capite nimirum octavo altè orditur, ab ipsa æterna prædestinatione, descendensq; veluti per gradus, *à causis ad effecta*, per Vocationem ad Justificationem quæ per Fidem fit), in ultimam Glorificationem desinit (Rom. V*III*. 29. 30.) Capite verò decimo, *prohibet eos qui salutis certitudinem quærunt, in cœlos ascendere, aut descendere in abyssum (quia illud foret Christum de cœlo deducere, hoc revocare à mortuis): Sed ut attendamus Ver-*

bo illi,

bo illi, quod prope nos est, in ore nostro, & in corde nostro, Verbum quod prædicatur(Rom. X 6, 7, 8.) Eoq; viâ contrariâ incedens, *ab effectu ad causas*, dicit, *Salutem venire ex Invocatione nominis Christi; Invocationem ex Fide; Fidem ex Auditu; Auditum per Verbum Dei; Verbum a. Dei pertingere ad illos, ad quos mittitur, & efficaciter operari in cordibus eorum, quibus inveniendum se gratiâ suâ dat Deus* (v. 9, &c.) *cæteros excæcari*(Cap. XI 7. &c.) Ubi tandem in Prædestinationis profunditatem desinit. Hic ergò videre est mirabilem illam *Jacobi scalam*, per quam ascendunt & descendunt Angeli Dei: non aliter tamen quàm per scalam, quæ est Christus. Sive enim ex Electione Fidem deducimus, Electio nonnisi in Christo facta est (Eph. *I* 5, 6) sive per Fidem ad Electionem ascendimus, *Fides nonnisi Christum habet basin* (Joh. *III.* 16.) O aperiat oculos nostros Deus, ut undecunq; scalam hanc, catenamvè salutis nostræ, spectamus, nihil nisi Christum, & ex illo nobis venientem salutem, videamus!]

32. *Ita Evangelicorum disceptationes esse inutiles* ostendi: sed & *illicitas dixi, utpote à spiritu Christi prohibitas*. Ubinam? dicet quis. Ubi *Christiani sapere supra quàm sapere oportet, prohibentur: sapere verò jubentur ad sobrietatem, prout Deus cuiq; admensus est mensuram fidei*(Rô: *XII*, 3.)

Et *cavere scientiam quæ inflat; operam verò dare charitati, quæ ædificat* (1. Cor. *VIII.* 1, 2, 3.) Et *esse unanimes, idipsum sentientes, nihil gerentes per contentionem, aut inanem gloriam* (Phil. *II* 2, 3.) Et *non contendere verbis; quia id ad nihil utile est, nisi ad subversionem audientium* (2. Tim. *II.* 14.) Item *vitare quæstiones immodicas, & sine disciplina, quæ generant lites: quia servum Domini non oportet litigare* (2. Tim. *II.* 23, 24) Item *Curare, ut qui crediderunt Deo præeant bonis operibus, quæ bona sunt, & utilia hominibus: Quæstiones autem & contentiones, & pugnas de Lege* (quidnî etiam de Evangelio?) *devitare, ut pote inutiles & vanas* (Tit. *III.* 8, 9.) Etiam ubi *in Ecclesia verbis quæ idiota non intelligat, & per quæ non ædificetur, loqui prohibemur* (1. Cor. XIV. 16, 17.) Nam hodiernæ illæ polemicæ conciones quid majori sui parte sunt, nisi populo non intellectus, & ad ædificationem nihil conferens, sermo? Audit sanè plebs, & intelligit, errorum alios insimulari: cæterùm quid propriè controvertatur, & quis ejus rei usus, (nisi ad odia inter Christianos accendenda) vix quisquam è plebe capit. Præsertim qvum plerunq; ipsi Declamatores statum controversiæ verum, aut non intelligant rectè, aut non proponant sincerè. *Logomachia ergò ibi, & confusio certa, à cœtibus Christianorum abesse jussa* (1. Cor. XIV. 19, 20, 21, 22, 23.) Quia *ubi Zelus & con-*

& contentio, ibi inquietudo & omne opus pravum, Christiani a. sapientiam ostendere jubentur conversatione bonâ, non zelo amaro, & contentionibus (Iac, *III.* 13. ad finem.)

33. Tandem dixi, *noxias esse illas Evangelicorum lites: quippe cum MELIORIS BONI jactura conjunctas. Cujus melioris boni? CHARITATIS, PIETATIS, EVANGELII*q; ad gentes propagationis. *CHARITAS* enim, seu *Dilectio mutua*, ita commendata est Christianis, ut nihil æquè aliud; tanquam *fraternitatis Christi character unicus* (*Joh.* XIII. 35.) tanquam *via omnibus charismatibus excellentior* (1. Cor. *XII* 31.) tanquam *præferenda omni scientiæ & cognitioni, etiam Angelicæ*; tanquam *sine qua nec donum prophetiæ, nec omnium mysteriorum cognitio, nec miracula, nec martyrium, quicquam prosint* (1. Cor. *XIII.* 1. &c) & tanquam *quæ totius præcepti sit finis*; & *à qua quisquis aberrat, aberret simul à Conscientia bona, & Fide non ficta* (1. Tim. *I.* 5.) Aberrari a. à Charitate *per doctrinas, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in Fide*, patet ibidem (è versu 3. 4. 6. 7.) ubi perniciosus ille disceptandi pruritus depingitur. Et exemplo Ecclesiæ Corinthiorum, ubi immoderatum scientiæ studium, & in eo sibi placentia, & hinc orta schismata, exstinguebant charitatem, inflatis alijs adversus alios (1. Cor. *I.* &c.) & exemplo Ecclesiarum Evangelicarum, ubi tantæ regnant, tamq; multiplicatæ, & se indies magis, levissimas quasq; ob causas, multiplicantes, simultates, dissidia, rixæ, odia, ut deplorari nunquam satis possit. Unde *alterius magni boni, PIETATIS & Sanctimoniæ* (*sine qua nemo videbit Deum*, Hebr. XII. 14.) *sequitur jactura*. Satanæ namq; stratagema est, ut dum nos invicem commissi pugnamus, ille faciliùs per carnis opera irrepat, serpens astutissimus: nosq; ab Arbore vitæ (Fide viva, per Charitatem efficace) abducti, circa Arborem scientiæ boni & mali, non tam deliciemur, quàm rixemur: obliti, Fidem veram *non opinionem esse, sed Opus* (2. Thess. I. 11.); nec aliquid in nobis mortuum, aut immobile, sed vim vivam, *nos spiritu vivere & ambulare facientem* (Gal. V. 25.) præstantemq; *ut vivamus non jam nos, sed Christus in nobis* (Gal. II. 20.) *carne nostrâ crucifixâ cum concupiscentijs & vitijs* (Gal. V. 24.) Hujus talis Fidei Vitæq; studia vigentne hodie inter disputatores Evangelicos? Non vacat, propter lites ob conservandam Evangelij puritatem (scilicet!) susceptas. At cujus Evangelij? Cujus compendium in hanc redegimus summam: *Vive ut lubet, modò credas te justificari Fide*. Atq; ut id credas tutiùs, crede simul *Opera bona non esse ad salutem necessaria*. O seductio! ó Evangelij abusus & opprobrium! Esto enim, defendi subtile hoc paradoxon

radoxon Academicâ subtilitate posse: effugi tamen nunquam poterit, subtilitatem hanc ex illo *inaniloquiorum genere esse, quæ multùm proficiunt ad impietatem* (2. Tim. II. 16.) Nam quis *Pietati studiosè det operam*, si etiam citra illius studium, solâ Fide, salutem adipisci liceat? *Quis cum timore & tremore salutem operetur*, ubi omnia tam secura sunt, solaq; Fides expedit omnia? At hoc quid est, nisi *quærendo justificari per Christum, constituere Christum peccati ministrum?* (Gal. II. 17.) Quid autem si Johannes seductionem esse pronunciet, si quis *non faciens justiciam justum se esse credat?* (1. Joh. III. 7.) Quid si Christus compellantibus se, *Domine, Domine*, dicat: *Non novi vos, Abscedite à me qui operamini iniquitatem?* (Matth. VII. 22, 23.) Hoc nimirum nobis conciliant subtiles nostri circa Evangelium sensus, ut non Charitatis tantùm, sed & omnis jam Pietatis obliviscamur: non tolerantes inter nos vel tantillùm sensu à nobis discedentes fratres: & tolerantes nidulantem in nobis *Intemperantiam, Avaritiam, Ambitionem, Superbiam, Iram, Nocendi libidinem, omnemq; Iniquitatem, h. e. Inferorum portas*: quasi licentiosum esse minus malum sit, ac in hoc vel illo doctrinæ puncto diversum sentire. Tam crassus autem error unde est, nisi à neglectis tot Apostolicis monitis? de studio *abundandi in charitate, ad probandum potiora* &c. (Col. I. 9, 10.)

34. Sed

34. *Sed & ipsi Evangelio nocent*, ne se ad plures propagare queat, Evangelicorum lites: non minùs ac olim Christianismi incrementis nocuêre Christianorum discordiæ, schismata & hæreses. Quanquam enim idololatriæ & superstitionum tenebras potenter dispellere cæperat, olim & nuper, Evangelij fulgor, ad collustrandũ & convertendum populos: substitit tamen cursus ille, hîc & illîc. Quâ culpâ? Non certè Evangelij, quod semper & ubiq; fuit, est, & erit, *Virtus Dei in salutem omni credenti* (Rom. I. 16.) sed eorum qui Evangelium jactando non secundùm Evangelium vivunt, vitæq; tenebris doctrinæ lucẽ obscurant, *utq; blasphemetur hoc bonum nostrum, Veritatis doctrina, faciunt* (Rom. II. 24. & XIV. 16. & alibi.) & qui insuper discordijs suis homines ab Evangelio deterrent, ut rixis intricatos videntes quô se vertant, à quibus se potiùs jungant nesciant. Nam quis credat *Evangelium Pacis* esse (quale Christi est, Eph. VI. 15.) quod per viam pacis non propagatur? & ubi nihil per mansvetudinis spiritum geritur, omnia per tumultum, contentionem, Zelum amarum, & dissentientes opprimendi conatum? Nostrum quidem non est ullius partis causam, aut eam tutandi processum, præjudicio nostro gravare aut levare (scimus suam cuiq; causam videri justissimam, processumq; legitimum); utinam tamen exami-

 nent

net pars quæq; seipsam! Nunc hoc tantùm monetur, illis qui extra partes sunt, non posse non suspecta videri causa, quæ talibus defensatur armis: & non posse non esse occasioni hostibus egregiè nos sugillandi, totamq; nostram causam justo quodam colore suspectam reddendi. Quia nempe *ut certum Veritatis indicium videtur, aliquid eodem modo videri omnibus, ita falsitatis nota certa, dissidere à semet ipso.*

35. Nos igitur, Fratres dilecti, pergamus Fratribus Evangelicis exemplo nostro ostendere, Evangelij perfectionem non in sensuum sublimitate, aut quæstionum varietate, & has sic vel sic agitandi celeritate, consistere (*nec enim Deus per subtiles quæstiones ad regna cœlestia nos vocat*, ut pridem monuit Hilarius) sed in sancta illa nobis unicè mandata *Charitate, quæ patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c.* (1. Cor. XIII.) Meliusq; esse quædam aut humiliter ignorare, quàm fastuosè scire; aut timidè credere, quàm temerè asseverare, aut pertinaciter negare, impetuoseq; defensare, in hac tanta imperfectione vitæ præsentis; ubi nonnisi *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, omnes (ibid. v. 9.) Ostendamus credere nos Apostolico testimonio, *si quis non acquiescit doctrinæ illi quæ secundùm pietatem est, esse superbum, nihil scire, sed langvere circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, suspiciones malæ*, &c. Rursusq, hunc esse *hominem Dei, qui ista fugit, sectaturq; justitiã, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansvetudinem* (1. Tim. VI. 3, 4, 5, 11.) Quodsi toto credimus corde, sectemur igitur *ea quæ pacis sunt, & quæ ædificationis mutuæ* (Rom. XIV. 19.) *cũ omnibus qui invocant Dominũ puro corde* (2. Tim. II. 22.)

36. Si nos propterea odisse, aut pro peculiari secta, quæ cum neutris faciat, diffamare, hi aut illi, aut utriq; voluerint, toleremus id potiùs, Fratres, quàm ut odijs nos implicando, in Deum & conscientias nostras peccemus. Ostendamus reipsâ, *nos æquè ac majores nostros non aliud quærere, quàm ut cum sana Evangelij doctrina Pietas vera vigeat, Ordinis ac Disciplinæ adminiculo.* Hæc enim una res fecit, ut licèt omnibus veris Christianis optarent jungi majores nostri, imprimis a Germaniæ Ecclesijs, D. Lutheri operâ reformatis; non tamen successerit coalitio. Nempe quia Ecclesiæ, quæ à Luthero denominari voluerunt, & adhuc, nunquam hujus rei seriam susceperunt curam, quomodo Christo in Ecclesia, non tantùm *Cathedra*, ut *Doctori*; & *Altare* ut *Sacerdoti*, concederetur; sed & *Thronus ac tribunal*, ut *Regi*, erigeretur. Tentabant quidem Argentinenses; sed quorum conatus morte Buceri, Ca-

pitonis,

pitonis, & collegarum, interrupti fuerunt. Tentabat & Saubertus Noribergensis nuper; & Meyfartus Erfurtensis, & alij aliquot hinc inde sancti Viri desideria sua (pro erigenda in Ecclesijs Evangelicis Disciplina publica) in publico explicantes: sed res hucusq; successu caruit. Non caruit *Geneva*: quô revocatus Calvinus, (annô post effusum ad Johannem Augustam Episcopum nostrum, de non resuscitata in Ecclesijs renascentibus, unà cum doctrina puriore, *Disciplina*, dolorem suum: de qua Vide *Except.* XVI. pag. 238. & 239.) tam solerter illius Ecclesiæ ordinem & Disciplinam constituit, ut admirationi fuerit ipsis etiam adversarijs (Bogini testimonium videatur suprà, Libri VIII. Capite XXVIII. §. 25, 26, 27.) Quod exemplum quia alij per Galliam, Belgium, Germaniam, Poloniam, Hungariamq; Reformati, quantum licuit sequuti sunt, factum est, ut hôc ipso Ordinis & pacis vinculo illis propiores facti fuerimus: eô solùm ab illis quoq; sejuncti (Nam à sententia Zwinglij de Sacramentis, à qua abhorrebant majores nostri, jam quoq; recesserant Helvetij) quòd subingressis odijs & rixis implicari metuentes, maluimus institutum retinere nostrum, & extra partium studia tacitè (antiquo more) servire Deo parati tamen & illis utrisq; sicubi daretur servire,) donec fortè communis fraternæ reconciliationis tempus adesse vellet

vellet Deus. Per hanc spem & patientiam nostram jure nos meruisse odia, non confidimus: si odisse volent, Deo respondebunt. Nos namq; jam ab initio fraternæ cum illis conversationis, fraternis illorum monitis morigeri fuimus: an & illi? Quod enim Lutherus, Bucerus, alij, emendatum à majoribus volebant, & monebant, *studium Lingvarum* fuit, & *Ministrorum Ecclesiæ Cœlibatus*. Paruimus in utroq;: licèt utrumq; hoc ex eorum esset genere, quorum usus & abusus datur. Monebant contrà nostri, & urgebant, *tribunal Christi in Ecclesia*, *Disciplinam* ad stabiliendum opus Evangelij contra hæreses, schismata, profanitatem vitæ: estné illorum votis & obtestationibus aliquid datum? Eheu! rixari maluerunt, & scindi, & permittere ut Evangelium carnale enatum sit, abominandoq; doctrinæ *de Justificatione* abusu Christus discerptus: qvem scilicet carnales Evangelici *justitiam* tantùm suã esse volunt, non etiam *sapientiam & sanctificationem* (1. Cor. I. 30.) Maluerunt, inquam, perpetuò contendere, quàm vel semel *convocatâ Nationali Synodo lites dirimere, Doctrinæ canonem stabilire, Disciplinaq; formâ erectâ totum Evangelij opus firmare.* Quibus illæ suæ contentiones, integro sic seculo continuatæ, quid profuerint, viderint ipsi: nobis quid obfuerint, nimis experti sumus, nostro malo. Virgo fuit Ecclesia nostra, priùs quàm

quàm se illorum consilijs, & exemplis, commiscuit. Nos autem dum hæc loquimur, defectus suos nemini exprobramus, nō ignari nostrorū (& *ne aggravemus nobis judicium*, Jac. *III.* 1) protestamur tantùm constanter, *Hoc unum esse* (DISCIPLINAM) *quòd Patres nostros, etiam post accensam alibi Evangelij facem, in sua singularitate detinuit, nosq; ad huc detinet. Si impetrare possumus, ut illi nobiscum, quid ad Evangelij gratiam perfectè dispensandam desit, agnoscant, finem hâc parte dissensionum fore pollicemur. Desinant cæteri Evangelici de Evangelio rixari, & incipiant secundùm Evangelium vivere; utq; ab omnibus Christo sacratis Vita Christianis digna exigi possit, Tribunal Christi inter se, ad leges ipsius Christi, erigant: nos peculiaris esse cœtus mox desinemus. Pereant sectæ, nostra etiam: modò non pereat quod usquam boni est, sed collectum in communem Ecclesiæ thesaurum commune fit.* In summa, *Verba Christi spiritus & vita sunt* (Joh. VI. 63) *non audiri tantùm, sed præstari volunt. Hoc si facimus sapientes sumus, ædificamus ad stabilitatem: sin, in ruinam cum fatuis* (Matth. *VII.* 21. ad finem.)

37. Quantum ad communes adversarios, Pontificios, qui more suo soli regnare avidi, omnes à se dissentientes, nos etiam, capitali odio prosequuntur, nos è vita & mundo tollere unicè intenti: iterum iterumq; monendi estis, Fratres, ut

ut memores vivatis & mandati & exempli supremi magistri Christi: qui *diligere jussit inimicos, & benefacere his qui oderunt nos, & orare pro persequentibus, & calumniantibus nos* (Matth. V. 44.): fecitq; id ipse, pro Crucifigentibus se orans, *Pater remitte illis: non enim sciunt, quid faciant* (Luc. XXIII. 34) Quod imitati Apostoli, *benedicebant, cùm maledicerentur; sustinebant, cùm persequutionem paterentur; obsecrabant, cùm blasphemarentur* (1. Cor. IV. 12, 13) jusseruntq; nos omnes imitari pariter: *Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. Nemini malum pro malo reddentes, nec vosmet ipsos defendentes (seu ulciscentes) sed date locum iræ* &c. (Rom. *XII.* 14, 17, 19.) Mementote quàm parùm feliciter cesserit Petro, quòd propugnare volens Dominum, irruit cum gladio stricto in hostilem turbam. Quid enim effecit? Unicum duntaxat læsit, auriculâ illi amputatâ; quam tamen & ipsam eidem hosti suo restituit Dominus: Petrus autem fugâ tandem quærere salutem compulsus fuit. Oblitus antè, regnum Christi non esse de hoc mundo, mundanis armis defendi non posse, nec debere: arma quæ furor ministrat, hostibus Christi, Pharisæis, fuisse relinquenda: Patremq; cœlestem submittere potiusse plusquàm duodecim legiones Angelorum, si tali victoriâ, tali loco & tempore, opus esset; sed quomodo imple-

implerentur Scripturæ, sic fieri oportere prænunciantes? (Matth. XXVI. 51. &c &c.) O quam simile quid Petrino illi Zelo (sed qui non secundùm scientiam fuit) contigit nuper nobis, eventuq; persimili! Christi enim Veritas, quam sic inconsideratè defensare, alieno potiùs quàm majorum exemplo, tentabamus, capta est, discipulorumq; numerus dissipatus. & non unus Petrus inconsideratè rursum fugam recusans, lapsus. Saltem ergò nunc jam ictus piscator (Petrus) sapiat, *malum pro malo non reddat, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicat; quia in hoc vocati sumus* (1. Pet. III. 9.) *Judicium enim Dei incipiat* (necesse est) *à domo Dei* (cap. IV. 17.) QVum igitur patiendum nobis sit (cap. II. 19, 20, 21.) hoc unicè dabitis operam, & fixiori ac antè unquam curâ, dilectissimi, ut *nemo Vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si a ut Christianus patitur, non erubescat, glorificet potiùs Deum isto nomine.* (1. Pet. IV. 15, 16.) *Cavete a Vobis ab hominibus, dicat* Christus (Matth. X. 17.) h. e. ne irritetis quenquam hominum, aut Vos illorum sive blanditijs & seductioni, sive rursum furori, temerè objiciatis. *Prudens, in tempore illo tacebit*, inquit Propheta, *quia tempus malum est* (Am. V. 13.) Et Christus: *In patientia possidete animas vestras* (Luc. XXI. 19.) Et Jesajas: *In silentio & spe erit fortitudo vestra* (XXX. 15.)

38. Coram Deo autem, *qui nos examinat igne hoc, sicut examinatur argentum; qui nos induxit in laqueum hunc, & posuit tribulationem hanc in dorso nostro; qui homines posuit super capita nostra, & nos ingredi fecit ignem hunc & aquam* (Psal. LXVI. 9, 10, 11.) gerite Vos, *primùm Humiliter*, agnoscendo & confitendo *justitiam ejus, & judiciorum ejus* (Psal. CXIX. 137.) *in confusionem faciei nobis, Regibus nostris, Principibus nostris, Patribusq; nostris, quia peccavimus* (Dan. IX. 7, 8.) *Secundò, Patienter*, etiamsi differat auxilium, etiamsi augeat porrò etiam afflictiones, etiamsi nos morti & interitui tradat. Dicat quisq; nostrûm, totaq; in reliquijs suis Ecclesia nostra, cum afflicta Israëlitica Ecclesia: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei* (Mich. VII. 9.) *Tertiò, in precibus ardenter; ut ne taceatis, & ne detis ei silentium, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terra* (Jes. LXII. 7. *Tandem, Confidenter*, in medijs quoq; afflictionibus, adeoq; morte ipsa, spe præcipiendo dulcedinem misericordiæ Dei, nobis castigatis, & emendatis, tandem, tandem, tandem, non negandæ. Habemus enim firmissimas promissiones veracissimi Dei; *Reversurum esse Dominum ad eos, qui revertuntur ad se* (Zach. I. 3. & Mal. 3. 7.) Et *qui eum quærunt inventuros, si quærant in toto corde* (Jer. 29. 13.) *Illum enim nosse cogitationes, quas cogitat super populum suum, co-*

gitationes PACIS, *& non afflictionis* (ibid. v. 11.) Et, *loqui* PACEM *in populum suum, & super sanctos suos, modò ut ne revertantur ad stultitiam* (Psal 85. 9.) Et, *si placuerint Domino via hominis, etiam inimicos ejus pacatos ei redditurum* (Prov. 16. 7.) aut, *si nolint Zelaturum Zelo magno, invitisq; hostibus reversurum ad Jerusalem in misericordijs, ut reædificetur Domus sua* (Zach. 15, 16.) *Manumq; ejus nunquam esse abbreviatam, ut salvare nequeat* (Jes. 58. 1.) &c &c.

39. Ne despondete igitur animum, fratres, quocunquæ tandem miseriarum delati. Nondum eô nos deduxit, unde reducere nequeat, manus ejus, qui *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit* (1. Sam. 2. 6.) Si quis ergò serum esse consilium, nunc jam remedia quærere, cogitat aut loquitur; is sciat, se cum ejusmodi imaginationibus similem esse Israelitis ad maris angustias stantibus, res suas pro conclamatis habentibus, exitumq; ex Ægypto deplorantibus: at quid per Mosen vox Dei? *Nolite timere, state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie!* (Exod. 14 11, 12, 13.) Similis Sioni querulanti: *Dereliquit me Dominus, oblitus est mei*: quid autem respondet Deus? *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filij uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen no obliviscar tui* (Jes. 49. 14, 15) Similis illis qui Jairi fidem labefactabant,

bant, dicentes: *Mortua est filia tua, quid ultra vexas Magistrum?* At quid ad hæc ipse cœlestis Magister? *Noli timere, tantum modò crede* (Mar. 5. 35, 36.) Similis Israelitis penitùs perditis, & desperando dicentibus: *Aruerunt ossa nostra & perijt spes nostra, excisi sumus* (Ezech. XXXVII. 11.) Verum quid ad hæc DEus? *Ecce ego aperiam tumulos Vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & introducam Vos in terram Vestram, & scietis quòd ego sum Dominus* (v. 12.) Similis Marthæ, de fratre suo sepulto jam narranti, *Domine jam fœtet, quadriduanus enim est*: at Dominus quid? *Si credideris, videbis gloriam Dei* (Joh. 11. 39, 40.) Demus igitur honorem Domino, fidemq; tantùmodò postulanti, tam potenti, sapienti, bono, ne negemus! Esto, simus jam ad mare ipsum: an Omnipotenti deerit Virga quædam, seu baculus, quô diffindat abyssum, & per invia ostendat viam? Esto: fluitemus jam super mare, & quidem super procellis agitatum mare, ut navicula nostra fluctibus cooperiri, Dominus interim dormire, nosq; nobis jamjam perire, videamur: an tamen illi, qui dixit, *cum ipso ero in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum* (Psalm. 91. 15.) Item, *Noli timere, quia redemi te, meus es tu: cùm transieris per aquas tecũ ero, & flumina non operient te*: (Jes. 43. 1. 2.) qui deniq; *dormire videtur, cor tamen ejus vigilat* (Cant. 5. 2.)

aut

aut vox, quâ furibundum mare increpet; aut digitus, quô compescat, deerit? Esto ultra id etiam; ut Navis nostra, quâ cum Apostolica doctrina vehimur, naufraga facta sit, jamq; mergatur, non enatatura unquam: an tamen deserit jam misericordia illa, quæ naufragium passas animas Paulo alicui donare omnes; neque naufragium in alto alicubi, sed prope littus aliquod permittere, naufragisq; insulam aliquam, nobis etiam de nomine ignotam, ostendere possit? (Act. 27 & 28.) Quin & si nos omnes, veluti Apocalyptici illi testes, à bestia de abysso ascendente occidamur, corporaq; nostra jaceant in plateis civitatis magnæ, (quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est) lætenturq; de interitu nostro inhabitantes terram: mortuis tamen etiam potens est Dominus noster immittere spiritum vitæ, in terrorem hostibus (Apoc. 11. v. 3. &c.) Et quod magis est, tametsi computruerint etiam corpora nostra; & disjecta per mundi campos jaceant arefacta ossa nostra: vivit tamen adhuc ille Dominus; qui disjecta ossa recolligere; & arefacta ossa carne explere, cuteq; vestire, spiritumq; à quatuor ventis vocare, eumq; interfectis afflare, ut reviviscant, potest (Ezech. 37. 1. &c.) Hoc est, potest in locum nostri, & nostro è cinere, excitare sibi cultores, eâdem Veritatis luce collustratos, eodem

charitatis

charitatis igne inflammatos, iisdem Ordinis & Disciplinæ vinculis colligatos: in majorem quâm per nos hostium, Thronum Christi in ~~cædibus~~ fidelium irrito conatu subvertere quærentium, confusionem, majoraq; Ecclesiæ suæ incrementa. Cœtib.

Noli timere vermicule Jacob, vos pauxilluli de Israël, ego auxiliabor tibi, dicit Dominus, redemptor tuus, sanctus Israel. Ego ponam te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia! Triturabis montes, & comminues: & colles quasi pulverem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet eos, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt; lingua eorum siti aruit: ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aqvarum. Ponam in deserto cedrum, & myrtū, & oleam, ulmumq; & buxum: ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc &c. (Jes. XLI. 14. ad 20.)

40. In eo solùm totus rei cardo versatur, dilecti, ut qui cladibus nostris supersumus, tales simus verè, quales Deus castigati populi sui esse vult reliquias, relictas in semen Ecclesiæ, quando *novellandum erit novale, & non serendum amplius inter spinas* (Jer. IV. 3.) *Si enim vos revertamur*

mur

mur ad Dominum, revertetur & ille ad nos (Mal. 3. 7.) *ut sanet contritiones nostras, & diligat nos tam spontaneos* (Os. 14. 5.) *Est enim Deus, qui non mutatur: ideóq; nos non sumus consumti* (Mal. 3. 6.) *Quoniam propterea exspectat Dominus, ut misereatur nostri: ideò exaltatur, parcens nobis, quia Deus judicij est, & beati omnes qui exspectant eum.* (Jes. 30. 18.) *Converte nos Domine & convertimur: innova dies nostros sicut à principio* (Thren. 5. 21.) *Fac ut nobis faciamus cor novum, & spiritum novũ* (Ezech. 18. 31.) Imò *da nobis tu ipse cor unum, & spiritum novum tribue in visceribus nostris: aufer de carne nostra cor lapideum, & cor carneum da nobis, ut in praeceptis tuis ambulemus, & simus tibi in populũ & Tu nobis in Deum* (Ez. XI. 19. 20.) Da ne amplius in nobis *sit radix germinans fel & amaritudinem: nemoq; nostrûm amplius obduret cor suum, ut audiens verba adjurationis hujus, benedicat sibi in corde suo dicens, Pax erit mihi, tametsi ambulavero ex sententia cordis mei; quò addat ebriam sitienti: quoniam Tu non ignosces* illi (Deut. 19. 18, 19. 20.)

Quis sapiens, ut intelligat ista? quis intelligens, ut cognoscat ista? quia rectæ sunt viæ Domini, & justi ambulabunt in eis: prævaricatores autem corruent in eis. (Os. 14. 10.)

De primâ Ecclesiarũ Unitatis Fratrum in Polonia Origine succincta narratio.

(*Authore Martino Grat.*)

Ecclesiæ Unitatis Fratrum Orthodoxorum, per Poloniam hinc inde dispersæ, *Coloniæ quædam sunt* Ecclesiarum Bohemicarum ejusdem Unitatis; hâc occasione inde traductæ.

Regnante in Bohemia Ferdinando primo, gestum est in Germania bellum Smalcaldicum; quô clade Protestātiũ finito Ferdinand9 auxiliares copias, quibuscum fratri Carolo Imperatori venerat in subsidium, reducens in Bohemiam, Pragam & proceres Evangelicos, quòd contra Saxonem (ob antiqua fœdera, & Religionem) militare nollent, ad pænas traxit. Ubi cùm Fratrum quoq; Patronis primarijs eripuisset, confiscationis nomine, Oppida & arces suas, jussit ex ijsdem dyna-

ftijs (nominatim *Litomyslena, Bidzowina, Brundusina, Chlumecensi, & Turnoviensi*) Ecclesias Fratrum ejici, hominesq; qui Romanæ vel Hussiticæ (seu Calixtinorum) Ecclesiæ membra fieri nollent, omnibus terris suis (sub capitis pœna) proscribi; Ministros autem captivari & ad carceres rapi. Promulgatum fuit ferale hoc edictum, Anno 1548, Maji die 4. captiq; mox è Ministris *Johannes Augusta Fratrum Antistes*, cum *Jacobo Bilek*, collega suo; (excarnificati torturâ crudeli, ter repetitâ, innocentesq; omnium reperti, detenti tamen in carcere ad mortem usq; Ferdinandi, per annos sedecim) & *Georgius Israel*, mirabiliter liberatus, & Polonorum postea factus Apostolus. Quemadmodum enim olim inopinata Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersio, occasionem divulgandi per varias provincias Evangelij dedit; ita per istam Fratrum proscriptionem Polonis, densâ tùm errorum caligine circumfusis, Divina prospexit providentia. Nam quum per angustiam temporis, quô se verterent, & ubi tutò pedem figerent, deliberare vix possent; ad Polonos illi, tanqvam consangvineos suos, utpote ab eadem secum stirpe oriundos, & quibuscum ejusdem etiam Linguæ (quamvis dialecto non nihil variante) commercium haberent, sibi profugiendum rati, bonis suis partim pretio qualicunq; divenditis, partim direptioni hostili relictis, itinere

nere tumultuario, periculoso, & per sylvosa môtium juga difficili, per Silesiam in Poloniam majorem contenderunt, agmine terno. Primum è Litomyslijs, Bidzovinis, & Chlumecensibus collectû, ibat (sexaginta & aliquot curribus, ad quingentas animas) per Glacensê Comitatum & Silesiam superiorem; alterum, Turnovienses & quosdam Brundusinos habens, animas circiter trecentas, curribus quinqvaginta, ibat per montes Gigantû & Silesiam inferiorem: tertium eâdem viâ continens Brundusinos reliquos. Quibus omnibus, in summo isto fortunarum & Vitæ discrimine, cessante humano præsidio, divinum præstò fuit auxilium. Egressi enim exules Lithomislio die 15. Junij Richnoviam pervenêre: ubi aurigæ Curribus exoneratis, ulterius supellectilem ipsorum vehere omninò recusârunt, metuentes impendentia ab insidiatoribus pericula. (Percrebuerat enim malignantium hominum manipulum, undecunq; collectum, præcessisse ad his insidiandum. Quare & illi consilium de itinere mutaverunt, per Comitatum Glacensem potiùs, quàm tramite recto, ituri.) Opportunè autem Olomutiô sub illud ipsum tempus advenerant alij qui præmium Vecturæ stipulati prioribus successerunt. Dominica 1. Trinit. Richnoviâ egressi Dobruskam veniunt, ubi à Magistratu oppidi perquam benignè excepti, cibo & potu recreati

 fuerunt

fuerunt: assignati ipsis præterea quindecim milites, supellectilis ipsorum custodes: alij itidē quindecim armati præmissi, qui itinera & sylvas explorarent, latrones dispellerent, & Exules per loca suspecta comitarentur. Capti tunc fuerunt *sex latrones, cæteris fugâ dilapsis*. Iter habuerunt versus oppidū Duszn.k. Cujus loci Præfectus, 360. armatis stipatus Exulibus occurrit, deducturus ipsos per montana. Fessos de itinere Magistratus ibidem cibo refecit, & discedentibus Cohortem armatam securitatis ergò adjunxit, quòd collectus ex Fossoribus in viciniâ illâ latronum manipulus (numerum 250. excedens) insidias Exulibus struere perhiberetur. Restabant aspera montium juga in confinio Bohemiæ & Silesiæ superanda. Præmisit itaq; Senatus Dusznicensis, nec non Generosus Dominus Trczka, haud exiguum Rusticorum ligonibus, palis, serris, securibus, & id genus instrumentis alijs instructorum numerum, qui vias complanarent. Idem charitatis Christianæ officium complures quoq; alij, commiseratione ducti, præstiterunt: Præfecto interim Dusznicensi Exules cum cohorte armatâ, per sylvas & montes, in confinia Glacensis civitatis amicè deducente. Senatus Glacensis, ut primum per internuncios advenas appropinquare accepit, causamq; itineris intellexit, benignè ac non sine evidenti commiserationis significatione, istos Mundi peregrinos

nos excepit, humanissimê tractavit, operā deniq; suam in ipsis tutè deducendis, ultrò obtulit. Imò valdè renuentibus, & reverenter gratias agentibus, (quòd aliunde, Zambergâ videlicet, itineris comites benè armatos haberent) adjunxit 150. milites. Ipse deniq; Civitatis Præfectus, habens in comitatu suo sedecim Equites, honorificê exules deduxit. Sic confecto per montana itinere in Silesiam descenderunt: ubi primum Frankenstaini à Præfecto Principis benevolè excepti, & liberaliter tractati sunt. Hinc domum dimissi milites Bohemi: Exules verò Vratislaviam contenderunt. Ubi itidem, ut & alibi passim, benignè excepti & humaniter tractati fuerunt: plerisq; ipsis condolentibus, & lachrymas gratulationibus, quòd pro nomine Christi constanter facultatum suarum jacturam, cum tristi exilio conjunctam ferrent, temperantibus.

Posnaniam, quæ Majoris Poloniæ metropolis est, ipso die Johannis Baptistæ sacro, ingressi, Deum, itineris sui ducem, laudârunt. Silentio enim prætereundum non videtur, quòd totum hoc iter Cœlo sereno, nullis tempestatum & pluviarum injurijs vexati, peramœnum habuerunt. Nec temerè scriptum quidam de hoc Exulum cætu reliqvit: *Non secus atq; olim Israëlitas à Domino quasi alis aquilarum toto hoc itinere portatum fuisse.* Munere Capitanei Posnaniensis, & Ge-

neralis Majoris Poloniæ Præfecti, authoritate Regiâ tum fungebatur Illustr. Dominus Andreas Comes à Gorka. Is quia non malè erga miseros Exules affectus erat, ut Posnaniæ, ubi maximè in suburbijs hospitia sibi conduxerant, subsisterent facilè permisit: imò in suæ etiam Ditionis oppidis diversis, nempè Cosminij, Kurnicij, & Szhamotulis, hospitia ipsis concessit. In quibus etiã oppidis, annuente Comite, sedes suas fixissent plurimi, nisi brevi pôst edicto Regio, (de quo mox dicendum erit) prohibiti fuissent.

Quia tamen Posnaniæ stabilem sedem non sperabant, miserunt nonnullos in Borussiam quæsitum: quô jam ante præcesserat Johannes Gyrk, Vir Nobilis & Doctus, qui postea Cancellarij Vices apud Paulum Speratum, Episcopum Pomezanensem, obijt, & tandem sacro Ministerio in Unitate Fratrum functus est. Ipsi interim habentes in comitatu suo Posnaniæ aliquot verbi Ministros (nempe Matthiam Aquilam, Urbanum Hermonem, Johannem Koritanscium & Matthæum Taticzek) cultui divino, diebus potissimùm Dominicis, ferijs item qvartâ & sextâ, pro more apud ipsos recepto, singulis septimanis vacabant. Conciones Sacræ adhibitis etiam hymnis & precibus, habebantur, idq; in duobus diversis hospitijs. Quorum pios cætus non pauci utriusq; sexus cives jam tum frequentabant: quâ-

qui tamen paulò familiariùs cum Ministris Exulum conversarentur, nulli penè tùm temporis erant. Clerus autem Pontificius, cum Episcopis suis, Regiam Majestatem sollicitant, ut Exules Bohemos Poloniâ etiam pelli jubeat: nec difficulter quod volebant obtinuerunt: quando inter Sigismundum Poloniæ, & Ferdinandum Bohemiæ Reges ita convenerat, ne proscriptos ab uno, alter in suo Regno foveret. Scribitur igitur mandatum Regium 4. Augusti, quô Domino Generali Majoris Poloniæ severè injungitur, ut Picardos istos Regno ejiceret. Sic miseri denuò solum vertere coacti, Thorunium, quæ inter primarias tres Regalis Borussiæ Civitates eminet, circa Festum Bartholomæi migrarunt: Ubi Octodecim ferè hebdomadas transegerunt, exercitia Religionis eadem quæ antea Posnaniæ habentes, donec iterato Regio edicto Torunio simul & totâ Regali Prussiâ ejecti sunt. Quô factum est, ut tandem in Prussiam Ducalem omnes migrarent, in quâ etiam (Illustrissimo Principe Alberto Marchione Brandeburgico, & primo Prussiæ Duce, clementer annuente) diversas sibi sedes delegerunt, *Quidzinum*, *Dabrawam*, *Jaldoviam*, *Hostinam*, *Nidburgum*, & alias. Quidam in ipsa etiam Metropoli Ducalis Prussiæ, Regiomonti videlicet, consederunt; Generosus imprimis Dominus Vilhelmus Krzynecki; qui

Nobilitate generis apud Bohemos clarus, Exilium pro Christo, & ipsius Evangelio quocunq; tandem eventu ferre, quam Conscientiæ vim aliquam inferre, maluit: id quod & alij nonnulli Nobili stemmate progneti fecerant.

Illud porrò silentiô mihi non est prætereundum, ut meliùs intelligatur, quâ occasione primùm Ecclesiæ Unitatis Fratrum in Polonia fundatæ sint: quod sub illud ipsum, quô Thorunij Exules commorabantur tempus, binas ibidem nundinas celebrari contigit, alteras quidem circa festum Simonis & Judæ Apostolorum: alteras verò ineunte Anno Christi 1549, circa festum Epiphaniorum. Harum occasione Cives quidam Posnanienses, qui ad mercatum venerant, & qui antea Posnaniæ Concionibus Fratrum interfuerant, familiariùs ijsdem sese insinuare, sermones diversos de Religionis negotio habere, Conciones deniq; ipsorum diligentiùs frequentare, & magis attentè omnia observare cœperunt: idq; eo eventu, ut jam tum quidam ex illis Erroribus Pôtificijs deprehensis, Veritatem verbi divini amplecterentur, & Ecclesiæ illi Fratrum sese adjungerent. Paulopost Senior Fratrum primarius, *Matthias Sionski*, qui superiori Anno (sub finem æstatis) in *Poloniam* cæteros Exules sequutus erat, curandæ valetudinis ergò *Posnaniam* se contulit. Illic usus hospitio Nobilis Domini *Andreæ Lipczin-*

Lipczinski, qvamvis infirmâ esset valetudine, tamẽ crebra de Religione cum multis colloquia miscuit, Conciones sacras habuit, neq; ulli se adeunti operam denegavit suam. Non solùm autem doctrinam ipsam, sed & Ritus in Unitate Fratrũ usitatos penitùs cognoscere multi fategerunt: qui etiam de omnibus accuratius edocti, tandem more consveto in communionem Ecclesiæ Orthodoxæ recepti sunt. Præcipui qui tum nomina sua coram Seniore professi sunt, fuere Dominus *Andreas Lypczinski*, *Georgius Schilling*, *Albertus Stamorh*, *Jacobus Pharmacopola*, & *Victorinus Bohemus*. Hæ tum fuerunt primitiæ Ecclesiæ Orthodoxæ Posnaniæ. Auctus est in dies numerus fidelium. Senior interim *Posnaniâ* in Moraviam profectus est, Fratrum è Bohemia dispersorum reliquias illic visitaturus, & in fide confirmaturus. Transactâ illic hyeme, Anno Christi 1550. reversus est per *Poloniam* Majorem in Borussiam: Ecclesiamq; tenellam *Posnaniensium* Fratrum in transitu visitavit, & auctiorem discedens inde, post se reliquit. Paulô pôst venit *Posnaniam* *Matthias Aquila*, Ecclesiæ Exulum Dzialdoviæ in Borussia pro tempore *Pastor*: qui Senioris exemplum imitatus, fidelem eidem Ecclesiæ operam navavit, DEO pijs laboribus affatim benedicente, ut indies plures Orthodoxæ Doctrinæ subscriberent.

Ineunte Anno 1551 *Posnanienses* simul atq; iterum missis in Borussiam literis, Seniorem sollicitant, ut Ecclesiæ ipsorum de Ministro Verbi & Sacramentorum prospiceret. Senior, re diu & benè apud se deliberatâ, accersit ad se *Fr. Georgium Israëlem*, huic eam demendat provinciam, ut *Posnaniam* profectus pio tenellæ illius Ecclesiæ desiderio satisfaceret. Jubet præterea, iter accelerare, propter instans festum *Paschatis*; quod ipsum *Posnaniæ* celebrari voluit. Ne verò interim Ecclesia illa, cujus in Borussia *Pastorē* agebat, ministerio Verbi careret, datus est ipsi ad tempus Successor *Martinus Felinus*, Diaconus. Israel igitur, bono cum Deo iter ingressus, Feria quarta post Dominicā quartā Quadragesimę Thorunium venit. Ubi memorabile quid, mihi hoc loco non reticendum, accidit. Alluit Urbem illam Vistula, nobilis Europæ fluvius, quem quidem tum adhuc glacie concretum offendit, *Pontem* verò sublicium, quo sub ipsis Civitatis mœnibus, sternitur, de industria jussu Magistratus solutum & remotum videt: ne videlicet Violentiâ fluctuum & glaciei (quod plerunq; sub illud tempus quo hyems solvitur usu venire solet,) abreptus periret. Unde in ulteriorem ripam nō nisi per concreti gelu fluminis dorsum, transitus ipsi dabatur. Sed & hunc periculosum sibi fore animadvertit, quòd glacies aurâ leniore, simul & radijs solaribus, jam labefactata esset. *Posterô* igitur quum advenerat die, equo in hospitio relicto ipse pedes glaciem tentat, periculum facturus an equum etiam in ripam ulteriorem traducere posset. E regione Civitatis flumē bifidum efficit insulam quandam, non adeò magnam: illam jam attigerat, superatâ potissimâ fluminis parte. Processit ulterius, visurus utrum ulterior etiam fluminis pars glacie constricta staret. Et quia ubiq; benè crassam offendit glaciem, tutum sibi per illam cum equo futurum iter ratus, eadem quâ venerat viâ revertitur. Vix dimidiam fluminis partem superaverat, cûm subitus retrò fragor auditur, quem quassata & collisa impetu aquarum glacies edidit: mox aquas vehementer intumescere sentit. Dumq; ulterius properat, priora legens vestigia, solutam jam sub Urbe glaciem conspicit. In insulam igitur revertendi properum suscipit consilium, in ulteriorem ripam evadendi spe. Sed hic quoq; spe suâ frustratur: quòd & in altero fluminis brachio glacies jam dissiluisset. Tum verò dubius animi, quid faceret, iterum glaciem illam, quæ versus Civitatem immota adhuc hærebat, & quā impetus aquarum ingentibus acervis confractæ jam glaciei oneraverat, tentat: visurus si quomodo in ripam illam cui muri Civitatis imminent, evadere possit. Sed frustra omnia. Dum enim propiùs accedit, glaciem versus Civitatem

pror-

prorsus collisam celeri fluctuum impetu rapi, & præcipitem ferri, conspicit. Subsistit tamen aliquantisper admirabundus, exorsus *Psalmum* centesimum quadragesimum octavum, *Halleluja, Laudate Dominum de Cœlis.* Ecce autem opinione citiùs aqvæ mirum in modum intumescentes, illos etiam glaciei acervos quibus insistebat solutos dispellunt! Hic verò omninò de ipso actum fuisset, nisi divina non sine miraculo ipsū servasset providentia. Deteriore sanè loco res ipsius videbantur esse, quàm sint naufragi alicujus: qui nave amissâ, tabulis, & id genus alijs parum tutis præsidijs, salutem suam firmiori tamen spe committit, quàm iste glacialibus tabulis mutuò sese collidentibus, tanquam fragili alicui testæ, sese permittere necesse habuit. Ferebatur sic per aliquàmulta stadia, pius Christi Minister, variè jactatus: maximè cum incidisset in locum illum vorticosum, ubi bipartiti fluminis fluctus in unum iterum coeunt. Ibi vidisses horrendum in modum glaciem sibi mutuò occurrentem collidi, & in gyrum volvi; hunc verò manu Angelicâ sustentatum non mergi. Spectatores sanè habuit perquam multos: inter quos multi fuerunt primarij Cives, & ipse etiam Proconsul, *Dominus Hofmannus*: (*Lasitius* habet *Rudgerum*) qui verò suppetias ferret neminem præter Jehovam, qui suos per Prophetam sic alloquitur: *Hæc dicit Dominus creans te Jacob, & formans te Israël: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cùm transieris per aqvas tecum ero, & flumina non operient te* &c. Cujus promissi veritatem *Georgius* iste *Israël* re ipsâ expertus est, divinitùs, & magno Ecclesiarum Polonicarum bono, in summo hoc vitæ discrimine servatus: Cùm plerīq; ex spectatoribus actum jam de illo esse, nec amplius panem gustaturum, non sine commiseratione affirmarent. Sed summus piorum protector qui deducit ad inferos & reducit, hunc quoq; quasi ex mortuo redivivum Ecclesiæ suæ restituit. Appulit enim tandem variè jactatus & defatigatus, ad ripam longè infra Civitatem: ubi mox præstò fuerunt non pauci, qui ceu redivivum magno cum applausu exceperunt, & gratulabundi, cōcurrentibus undiqs Salutatoribus, in Urbem deduxerunt, prędicantes divinum auxilium, & affirmantes se hoc exemplo confirmatos credere, Deum peculiarem semper curam agere omnium qui syncero corde ipsum colunt. Deductum in hospitium accessit, præter alios non nullos cives, ipse etiam Proconsul gratulabundus.

Porro Thorunij tantisper ipsi fuit quiescendum, donec glacies fluctibus collisa diffluxisset. (Tum demum continuato itinere, quod sanè perquam difficile & periculosum, propter nimias

mias passim aquarum exundationes expertus fuit, salvus & incolumis *Posnaniam* venit. Ubi tamẽ iterum Eqvum in suburbio (quod *Szroda* dicitur) relinqvere, & navigio Civitatem intrare coactus est; tanta quippe Wartæ fluminis tum fuit exundatio, ut aquæ ipsius etiam fori Civitatis partem bonam operierint.

Hospitio *Posnaniæ* usus est Nobilis *Domini Andreæ Lipczynij*, & alacriter mox opus Evangelistæ aggressus, primam concionem in ædibus ejusdem Domini Lipczynij habuit feria quarta ante Dominicam *Palmarum*, convocatis ijs duntaxat, quos cupidos audiendi Verbi Divini nôrant. Feriâ deinde sextâ secundam Concionem habuit, cui interfuit Illustris & Generosa *Catharina Comitissa Ostrorogana*, Virgo, quæ de industria *Pamiatkovviâ Posnaniam* ejus rei gratia venerat. Interfuit etiam sacris istis Generosus Dominus *Lucas Jankovius* Illustriũ Comit. ab Ostrorog Affinis (nupta enim illi fuit dictæ Comitissæ Soror, quæ & ipsa prædicationi Evangelij patulas pôst præbuit aures.) Tandem post variâ de Religione Colloquia dictus *Dominus Jankovius* invitavit Fratrem Georgium amicè in ædes suas: degebat autem tum in villâ cui *Psarskie* nomen est. Annuens piæ petitioni *Fr. Georgius*, comitatus aliquot civibus *Posnaniensibus*, Feriâ post Dominicam *Palmarum* proximâ, venit

venit ad Generosum Dominum Jankovium: qui novum & desideratum in ædibus suis hospitem hilari admodum fronte excepit, & liberaliter tractavit. *Postridie* autem, post preces & Concionem Sacram, solennes agit Fratri Georgio, gratias, quòd Vocatus haud ægrè comparuisset: unâ cum Conjuge in communionem Orthoxæ Ecclesiæ recipi se non sine lachrymis petens. Idem paulò post petijt Nobilis Martinus Kadzinskius Generosi illius Domini Servitor: cui Dominus egregium pietatis & fidelitatis testimonium perhibuit. *Frater* Georgius mirificè pio hoc *Zelo* delectatus, accuratè de omnibus eruditos & diligenter præparatos, Voti compotes effecit, ipsoq; die Cœnæ Dominicæ, post S. Concionem, tùm istis noviter receptis, tùm etiam *Posnaniensibus* qui una venerant Sacrâ, *Domini* Cænam administravit. Et tandem multis verbis ad sanctam constantiam in agnita Veritate adhortatus, gratiæ divinæ eos commendavit.

In reditu deslexit *Pamiatkoviam* ad Comitissam Ostroroganam, cujus jam facta est mentio: quæ & ipsa diligenter in Catechesi Christiana instituta, nihil morata, ipso mox die *Passionis* Dominicæ Ecclesiæ Orthodoxæ, una cum duabus pedisequis suis, nomen dedit.

Hinc *Posnaniam* iterum abijt, & finito mox *Paschatis* Festo in Borussiam ad suos reversus, Seniori

niori suo *Fratri Matthiæ Sionio* (qui tum admodum infirma erat valetudine, & paulò post in Cælestem *Patriam*, consummato feliciter Exilij sui curriculo, emigravit) administratæ functionis rationem reddidit, & quo successu *Polonis* Evangelium prædicasset, diligenter exposuit.

Post decessum Senioris, Frater Georgius Ecclesias illas recèns collectas subinde (præsertim tempore nundinarum *Posnaniensium*) visitavit, & in agnita Veritate confirmavit. Quò factum est, ut indies numerus fidelium augeretur; nec solùm è plebeis plurimi, deprehensis *Pontificijs* erroribus, Veritatem alacres amplecterentur, sed ex nobilibus etiam nō pauci. Quorū primitiæ fuerunt, præter Generosum & Magnificum Dominum Jankovium, de quo antea dictum fuit, Illustris Comitum Ostrorogorum familia. Item domus Kansinoviana: in qua cum pietate morumq; honestate excelluit Anna Kansinovia, singulare matronarum illâ ætate decus. Domus item Bukovviecia, & in ea Wolfgangus Bukovviecius cū Conjuge sua; & Joachimus Bukovviecius cum Conjuge Catharina *Pakoslavià*, ultimo istius familiæ surculo; quam Deus præter senectam vegetam hâc etiam beavit benedictione, quòd ex unica filia sua, quæ ante Annos 25 obijt, pronepotes & proneptes septendecim numerat. Domus item Jaskoleciorum; & aliæ, quas omnes recensere longum foret. Ostro-

Ostrorogi, quæ est Vetusta Ill. Comitum Ostrorogorum sedes, primus publicè Evangelium docuit *Felix Cruciger*, quem Illustrissimus Comes Ostrorogius Jacobus, posteà Majoris Poloniæ Generalis præfectus, secum Anno Christi 1551. ex Minore *Polonia* adduxerat. Docuit autem in Templo, sed nondum reformato: sacrificus enim Pontificius Missam suam adhuc in eodem templo celebrabat. Anno demum Christi 1553 Fr. Georgius Israël, relicto successore in Ecclesia suâ, quam in Borussiâ hucusq; rexerat *Petro Studenscio*, jussu Seniorum Posnaniam migrat, Ecclesijs ibidem & in vicinia collectis operam navaturus. Id quod & sedulò, nulli parcens labori, nec minori quàm antea successu, fecit.

Ægerrimè id tulit infensissimus ille humani generis hostis Diabolus, qui nihil habet antiquius, quàm cursum Verbi divini, & salutem hominis, modis omnibus impedire. Cum igitur hunc DEI ministrum conatibus suis strenuè resistere, & Regnum Christi sedulò propagare videret, fraudem non unam commentus est, quâ ipsi apud Viros summæ authoritatis invidiam conflare, & tandem in discrimen vitæ immeritum adducere, satagit. Primò autem infensum illi reddere conatus est Illustrissimum Dominum Iacobum Comitem Ostrorogium, heroëm eximium, & non vulgari Veritatis divinæ cognitione jam im-

butum, quæ etiam Confessionem Unitatis Fratrum, nec non alia quædam ipsorum scripta, sedulò legerat. Huic per nonnullos insusurravit, ut Fratri Georgio suâ Domo & Ditione prorsus interdiceret: periculum enim esse, ne quando peste eam inficeret, cũ jam semel atq; iterũ grassante Posnaniæ pestiferâ lue *Pamiantkoviam* inde excurrete, & ibidem Conciones habere, non sit veritus. Commotus eâ re non nihil fuerat heros Inclytus, persvaderi tamen sibi non est passus, ut animum suum ab ipso penitus alienaret: quin imò, DEO sic moderante, brevi in conspectum suum benignè admisit, ad Colloquia familiaria de Religionis negotio adhibuit, & tandem in Communionem Orthodoxæ Unitatis Fratrum Ecclesiæ una cum Conjuge sua, receptus est.

Elusus hic Sathanas, aliud Ecclesiæ adhuc teneræ periculum moliri cœpit. Anno Christi 1553 mortem obijt Girzbnicius Episcopus Posnaniensis; quô sedente, primùm Ecclesia Orthodoxa *Posnaniæ* fundata fuit. Hic n. etsi minas intenderat Fr. Georgio, cursum tamen Verbi Divini non impedivit, neq; Civibus Posnaniensibus, qui orthodoxam Religionem amplexi fuerant, admodum molestus fuit. Successit huic alius, ex illustri in Majore Poloniâ familiâ oriundus: qui, reliquo clero frigidam suffundente, fidelibus molestiam exhibere cœpit. Quâ occasione

sione Generalis Majoris Poloniæ præfectus, vocavit ad se in Arcem Posnaniensem Fr. Georgium Israëlem, qui sub illud tempus in suburbio Posnaniensi, in ædibus Illustrissimi *Domini* Comitis ab Ostrorog degebat, Conciones ad Populum ibidem habere solitus. Quem satis benignè exceptum, Fidei suæ Confessionem edere jussit: eiq; rationem Doctrinæ & spei suæ reddenti, aures satis attentas præbuit; palam tandem testatus, se ex istâ confessione hæreseos ipsum damnare minimè posse, quod nihil in eâ erroneum deprehenderet. Subjecit verò tandem, fuisse nuper unâ Gnesnæ Archiepiscopum & Episcopos duos, inter quos conclusum esset, Regiam Majestatem sollicitare omninò, ne ullas in Civitatibus Regijs Conciones Evangelicas haberi permitteret. Quare authorem se illi esse, ut saltem ad tempus aliò ex Urbe migret, ad aliquem ex vicinis Nobilibus, quorum non pauci Evangelij doctrinam jam amplexi essent. *Vereor enim*, inquit, *ne pro ratione muneris mihi à Regiâ Majestate commissi, manus tandem vel invitus adversus pusillum gregem, non sine vulnere conscientiæ meæ, extendere cogar.* Adjecit præterea: *posse Posnanienses, qui vellent, aliò etiam ad audiendas conciones ipsius excurrere*. Frater Georgius actis quâ par erat reverentiâ gratijs, pro commonefactione benignâ, quæ non absona esset ei quâ Salvator noster olim disci-

discipulis dedisset, inquiens, *si vos in unâ Civitate persequuti fuerint, fugite in aliam*; acceptâq; veniâ discessit. Cum interim Adversarij ipsius anxiè rei eventum exspectarent, futurum rati, quod & unicè optabant, ut in arce captivus detineretur. Dimissus autem ille per ostium, quod prope arcé extra civitatem ducit, redijt in hospitium: ubi semestre fere tempus adhuc transegit, cultui interim divino, & sacris ad populum concionibus, uti antea, vacans. Ostrorogum tandē vocatus authoritate Magistratûs Templo oppidi illius præfectus est: ædes mox parochiales (cum non nisi casam humilem & ruinas minantem invenisset) non sine labore & sumptu mediocri (Anno Christi 1554.) extruxit, quæ postea Anno 1589. die 25. April una cum Templo & oppido conflagrarunt. Quo incendio Bibliotheca satis instructa, cum plerisq; monumentis, multa memorabilia continentibus, perierunt. Ostrorogi residens, Posnaniensis Ecclesiæ curam non abjecit, quam & ipse sæpiùs visitavit, & collegas qui sacras Conciones haberent subinde illuc misit.

Episcopus autem novus Ecclesiam Posnaniensem novam disturbare adorsus, Cives nonnullos, ob factam ab Ecclesiâ Romanâ secessionem, in jus vocavit, & hæreseos, quamvis legitimè nō convictos, damnavit. Primus Civis ad subsellia ipsius tractus, fuit quidam *Georgius Grycerus*. Capita

accusationis ipsius fuerunt; (1) *Quòd non conveniret nec concordaret in fide Catholica & Romana, quam hoc Regnum dudum suscepisset & profiteretur: sed aliam quandam sectam Picardorum profiteretur.* (2) *Quòd post suam ab Obedientia, Fide, & Ceremonijs Ecclesiæ Romanæ, Catholicæ & Apostolicæ, secessionem, dictam Ecclesiam modis omnibus execraretur & abominaretur.* (3) *Quòd Conventicula diurna & nocturna in domo sua, & aliorum Civium, haberet, obiret, & alios ad eadem invitaret.* (4) *Quod Communionem sub utraq; specie de manu Laici Picardi susciperet, & alijs suscipiendam persuaderet.* (5) *Quod cuidam Joanni Rokita, Picardo, in civitate degenti, pueros suos instituendos commisisset.* De his potissimum ab Instigatore Episcopi accusatus fuit: sed causa ipsius tum indecisa mansit, ipseq; dimissus fuit.

Postea in jus vocati fuerunt alij duo cives, *Jacobus Pharmacopola*, & *Seraphin* quidam *Sartor*: uterq;, quod Pontificem Romanum Ecclesiæ Christianæ caput agnoscere nollet, hæreseos damnatus, & civili Magistratui exurendus traditus est. Innotuit ea res statim *Illustri* Domino *Lucæ Comiti à Gorka*, qui tum Posnaniæ fuit. Is pio motus zelo, assumptis secum Illustrissimo Domino *Stanislao Comite ab Ostrorog*, & aliquot Nobilibus, illicò in Curiam contendit, cum Senatu de injuria Civibus Posnaniensibus,

Sacræ Regiæ Majestatis subditis, illatâ, severè expostulavit: indignum esse ostendens, jure non convictos publicè, ad nudam Episcopi narrationem, capitis condemnare. Adjecit præterea, se istos, de quorum vitâ judicium agatur, in suo censere famulitio. Et tandem Curiâ eductos, domum abire, & quietos esse, jussit: se ubi usus postulaverit, ipsorum patrocinium suscepturum pollicitus. Dimissi, pacatè deinceps vixerunt, nec repertus est, qui litem ipsis ampliùs moveret.

Anno sequenti, qui fuit à nato Christo 1554. *Paulus Organista* nomine, arte sutor, Civis *Posnaniensis*, quem antea Sutoria tribus Religionis ergò diu multumq; vexaverat, ab eodem Episcopo in jus vocatur, die 21. Maij: cui eandem quā prioribus hæreseos litem intendit. Hic quia masculè Fidei suæ confessionem ediderat, testatus se nunquam à fide Verâ Catholicâ & Apostolica defecisse: sed corde credere & ore confiteri, Catholicæ Fidei Articulos in Symbolo Apostolico comprehensos, nec jure se hæreseos cujuscunq; damnari posse, nisi priùs ex S. Literis convictus esset, in carcerem compactus, ibiq; per decem dies detentus; postea verò cautione datâ, ut citatus iterum se sisteret, dimissus fuit. Decimo pòst die, iterum vocatus, comparuit, & ab ipso Episcopo audiri se petijt, id quod fuit denegatum: sed dati duo Canonici, qui hominem examinarent. Propositæ tū aliquot quæstiunculæ fuerunt, nominatim hæ: I. *Teneaturne Christianꝰ sub juramēto dicere Veritatē.* II. *Ubi in festo Paschatis peccata confessus esset.* III. *Qualem accepisset absolutionem.* IV. *Crederét ne se coram vero Ministro Ecclesiæ peccata confessum, & verum Sacramentum accepisse?* Respondit præsenti animo ad singula. *Postea* dilemmata quædam ipsi proposita fuêre, ad quæ facetè respondit.

1. *Meliusne ipsi placerent hymni & Conciones Picardorum, quàm Ecclesiæ Romanæ?* Melius, respondit: illic enim omnia intelligo, hîc nihil.

2. *Missam laudaretnè, an vituperaret?* Qui laudarem, inquit, cùm ignarus Latinæ Linguæ nesciam, quid illic Sacrificulus agat, dicatve? 3. *Utrum Processioni proximè in Festo Corporis Christi interfuisset, nec ne?* Qui interessem, respondit, in vinculis tùm ab Episcopo detentus? *An postea interesse vellet?* Non svadet, ait, conscientia. Symbolum jussus Apostolicum clarâ voce recitavit. Rogatus deniq;, *Quid de non baptizatis infantibus sentiret?* Istam se quæstionem ipsis spiritualibus discutiendam relinquere, dixit: sibi hactenꝰ non licuisse de illa cogitare. Post longam disceptationem dimissus tum fuit. Sed exactis decem iterum diebus, citatum monuerunt, tùm sacerdotes alij, tùm ipse etiam Episcopus, ut palinodiam caneret, & in gratiam cum Ecclesia Romanâ rediret.

ret. Cumq; obfirmatum perſpexiſſent ipſius animum exire, & in conſilium adhibere amicos & familiares, qui ante conclave illud præſtòerat, juſſerunt. Interim verò dum ille cum amicis ſermones miſcet, Judicum ſententiâ hæreticus pronunciatur: acceptaq; novâ cautione ad diem undecim, iterum ſe ſiſtere, at non jam *Poſnaniæ*, ſed aliquot ab Urbe milliaribus, ubi Epiſcopus reſidere conſveverat, jubetur, ad audiendum latam de ſe ſententiam.

Venit dies deſtinatus, *Paulus Organiſta* ſe ſiſtit. Huncè veſtigio ſubſeqvuntur Magnates & Nobiles non pauci: inter quos eminebant Dominus *Jacobus ab Oſtrorog*, & Dominus *Raphael de Leſno*, *Capitaneus Radzijevienſis*, *Comites*; & *Johannes Tomicki*, *Caſtellanus Rogosnenſis*: *Albertus item Marſſevski*, & *alij non pauci*. Epiſcopus certior de ipſorum adventu factus, neq; cunctandum ſibi ratus, dictum Paulum hæreticum, & pœnis hæreticis conſtitutis ſubjacere, pronunciat. Poſt latam mox ſententiam adſunt dicti hoſpites, quos Epiſcopus hilari fronte excipit. De interim condemnato altum ſilentium, donec ipſi Magnates, quid de ipſo ageretur, quærerent. Reſpondet Epiſcopus, Tardè ipſos veniſſe, latam jam eſſe adverſus ipſum ſententiam. Ipſi inſtare: doceret Epiſcopus, ob quos Articulos erroneos damnatus eſſet, ſibi ut caverent, ne ijsdem erroribus

implicarentur. Quod cum impetrare nullo modo poſſent, commoti non nihil vehementiùs expoſtulare cum ipſo cœperunt, de rei indignitate, quòd hominem palam non convictum damnaſſet. Adhæc Epiſcopus, *Mirari ſe ipſos tantopere in causâ hominis plebei, & quidem Sutoris, laborare, non ſecus ac ſi ipſimet inſigni aliquâ injuriâ affecti eſſent*. Reſpondit Comes ab Oſtrorog, non de perſonâ Sutoris litem eſſe, de fide ipſius. Metuendum præterea, ne quam modo in Sutorē, brevi in præcipuæ dignitatis Viros extendere conaretur jurisdictionem: maximè ſi iſtiusmodi proceſſus juris clandeſtinus obtineret, in quo ipſe Actoris ſimul, & teſtis, & judicis, partes ſuſtineret. Poſt longam diſceptationem, quam proteſtatio Magnatum contra iniquum Juris proceſſū diremit, Epiſcopus ad prandium ipſos invitat. Aquam jam manualem non nulli ex Nobilibus ſūpſerant, ad menſam accubituri, dum Comes Oſtrorogius in hæc prorumpit verba; *Abſit hoc à me, ut apud talem Judicem cibum capiam, cujus panis mihi verti poſſet in venenum.* Nec mora, ſurgit, & conſcenſo curru diſcedit: idemq; mox reliqui omnes ad unum faciunt, aſſumto ſecum Cive illo, de cujus ludebatur corio, quem Epiſcopus indignabundus exire juſſerat, quòd maſculè ipſi ad objecta, in præſentiâ Magnatum, reſpondiſſet. Cùm hâc non ſucceſſiſſet, ad Regiam

 Maje-

Majestatem Episcopus reum (quia & ipse ad Regem provocaverat) defert, impetratq; mandatum, quô Magnifico Domino *Janussio de Koscielec*, Palatino Siradiensi, Majoris *Poloniæ* pro tempore Generali Præfecto, injungitur, ut Authoritate Regiâ in novatores, quos ipsi vocant, inquirat, omnes ipsorum congregationes inhibeat, & immorigeros severè coherceat. Scriptum fuit hoc mandatum, die 27. Junij, Anno *Christi* 1555, & *Posnaniam*, ut tùm in urbe tùm alibi publicaretur, missum. Quâ occasione aliquandiu delituit *Paulus Organista* in Arce Comitis de Gorka Kurnicensi: in jus tamẽ vocatus à Senatu *Posnaniensi*, ad diem sibi dictam comparuit. Ubi causâ indictâ ad carcerem à Senatu damnatur: sed Illustri Comite à Gorkâ, Domino Luca (Palatino tum temporis Lanciciensi, postea Posnaniensi) ipsius patrocinium suscipiente, ad Regem iterum provocavit. Quia verò nemo deinceps (Patronis ubiq; causam ipsius strenuè promoventibus) in jus eum vocavit, tranquille in posterum, superatis tot periculis, & constans in agnitâ veritate, vixit, ipsi etiam Episcopo, qui totius tragediæ author fuerat, superstes.

Opus interea Evangelij crevit, fundatis ab Georgio Israele per id tempus alijs alibi Ecclesiis. Inter primas fuerunt *Lobsenensis*, cui pastorem dedit *Georgium Philippensem*: *Barcinensis*, cui

cui Pastor datus *Johannes Rybinius*: *Marsseviensis*, cujus cura Petro *Scalnicio* primùm fuit demandata: *Cosmingensis* item, in ditione Comitum Ostrorogorum, quæ inter alias eminebat, cui Senior, Fr. Georgius Israël, primum Pastorem dedit *Albertum Serpentium*. Qui vir cùm antea Sacerdos *Pontificius* creatus, & tandem in Collegium Canonicorum adoptatus fuisset, agnitâ veritate divina fidelem Christo in Ecclesiâ sibi commissa, annis plus minus viginti, operam navavit. Successorem postea habuit *Johannem Rokytam*, virum doctrinâ, humanitate, & facundia singulari, præstantem: qui Anno Christi 1570, jussu Seniorum suorum, serenissimi Regis Poloniæ legatos in Moscoviam comitatus, ipsis à sacris fuit Concionibus. Hic cum ipso Magno Moscoviæ Duce, Basilio (vocatus in arcem Moscoviensem die 10. Maij,) colloquium habuit, & in magna *Procerũ* gentis ejus frequentia fidei suæ rationem reddidit. A quo etiam (die 18. Junij) Librum Ruthenicis characteribus (quorum illic usus est) exaratum, accepit, quo summa Religionis Moscoviticæ continetur. Qui liber à Domino *Johanne Lasitio* Latio donatus *Spiræ* Nemetum Anno 1582 typis editus est, unà cum responsionibus, quibus errores Moscovitarum deteguntur & refutantur.

Sed ad *Posnanienses* redeo; in quorum Civitate cùm non tantum ex *Polonis* multi, sed non pauci

pauci etiam Germani Evangelij doctrinam amplexi essent, occasio fundandæ ibidem Ecclesiæ Germanicæ sese obtulit, petentibus ipsis Pastorem sibi peculiarem dari. Missus igitur ex Bohemia, quô antea ex Polonia reversus fuerat, Iohannes Korytanski, qui Ministerio Verbi & Sacramentorum, Germanorum illa in Urbe Ecclesiam colligeret: cui etiam ab Anno 1558, ad annum 1565, fidelem, nec sine fructu, navavit operam. Taceo alias Germanorum Ecclesias, in ipsis Silesiæ confinijs collectas; quarum primitiæ fuerunt Lesnensis & Lasvicensis, in Ditione Comitum de Lesno.

Anno Christi 1560, cum Ecclesiarum numerus augeretur, datus fuit *Georgio Israëli*, Antistiti, à Bohemis Collega Frater *Johannes Laurentius*, vir piè doctus, & propagandæ gloriæ nominis divini studiosissimus. Cui olim, juveni adhuc, Cancellarij apud Episcopum Olomucensem in Moravia munus ultrò fuit oblatum: quod ipse conscientiæ suæ consulens recusavit. Huic tandem (Anno 1573.) Fr. Georgius, ætate & laboribus confectus, munus suum plenè resignavit, & ad quietem in Moraviam concessit. Successor vero Laurentius, postquam demandatum sibi ab Ecclesia munus fideliter, & non sine laude planè eximia, per annos 14 administrasset, Anno 1587, die octava mensis Iulij piè in Domino obdormivit.

Quo ipso die anno sequente (1588.) Frater Georgius Israël, emeritus Christi athleta, Lipnicij Moravorum octuagenarius ad Dominum migravit.

Fratri Laurentio successit eodem (anno 1587) *Simeon Theophilus Turnovius*, vir doctrina non vulgari, laboriosus præterea & magnanimus, plerisq; Poloniæ Magnatibus adeò familiariter notus, ut etiam Pontificij plerią; singulari ipsum favore prosequerentur. Hic postquā ultra viginti annos Ecclesijs suæ inspectioni commissis præfuisset, curis & laboribus confectus Anno 1608, die 22. Mensis Martij, rebus humanis exemptus est.

Cui in eadem Ecclesiarum per Poloniam majorem Superattendentia successit Fr. *Matthias Rybinius*, Vir egregius, & singulari ad res gerendas prudentia & dexteritate: verùm non diu. Superatus enim partim phtisi, partim Calculi doloribus, Anno 1612. die 22. Maji, Posnaniæ, quò curandæ valetudinis ergò sese contulerat, placidè in Domino obdormivit. &c &c.

Atq; hæc fuerunt Ecclesiarum Unitatis Fratrum Orthodoxorum per Poloniam primordia; sceptra Regni tenente Sigismundo Augusto, Rege Inclyto: quem togata prudentia, & singularis in subditos clementia, imò affectus planè paternus, omnibus amabilem fecerunt. De cujus gubernatione Stanislaus Sarnicius in

in Annalibus suis sic scriptum reliqvit; *In gubernatione* (inquit) *Republicæ, hic Rex mirâ dexteritate usus est, cujus rei multa documenta produci possent. Idq; imprimis, quòd ipso regnante rarus fuit ex Principibus Christianis, Regibus & Monarchis, qui fluctuante mundo ob controversiam in negotio Religionis Christianæ, aliquod naufragium non sit passus. Carolus ipse quintus Imperator prudentissimus fuit; & tamen in Germaniâ & Hispaniâ multum vidit effusum sanguinis Christiani, si non ipso imperante, tamen certè connivente. Sic in Anglia quot quantæq; persequutiones? in Galliis item, quot quantæq; laniena, & bella parricidialia exhibuerunt? Hoc incommodum nec Ferdinandus Caroli Frater evitare potuit, quin in Bohemia & Austria ejus rei tristissima aliquot exempla ipse ediderit. Solus Sigismundus Augustus inter Christianos Principes ea in re palmam meruit. Nam cùm totus ferè Orbis Christianus, ut dictum est, furenter nomine Religionis quateretur, ille tamen Poloniam & Lithvaniam sangvine civium fœdari non est passus. Minabatur ille interdum, à Legatis Pontificiis exagitatus: interea tamen Duce Prussiæ, & Urbes ejus Provinciæ, ex præscripto Confessionis earum vivere passus est. Quin & Polonis suis à Romana Ecclesia deficientibus, eâ in re molestus non fuit: & non modò Confessionem Fidei ab eis exhibitam, amanter manibus suis suscepit, sed etiam Concionatores eorum interdum audivit, & in Aula servavit. Ex quibus fuêre Johannes quidam Cosminius, & Laurentius Prasmitius. Et professus quidem est ille se Romanæ Ecclesiæ obsequentem esse, incensores tamen sacrorum bellorum, & præsertim Concionatores, asperiùs classicum canentes, civiliaq; bella cientes, pejus cane & angve odio habuit, eosq; sæpè severiter increpavit. Meminerat enim prudentissimus Princeps, Majorum suorum mores & instituta, qui malebant semper cum Tartaris experiri aleam cruentissimi belli, quàm communem Parentum Patriam, undiq; à furiosissimus barbaris per circuitum septam, civilibus & parricidialibus implicare bellis.* Hactenus Sarnicius.

Cæterum Confessio Fratrum oblata fuit Regi Clementissimo, die 8. Decembr. Anno Christi 1563, in generalibus Regni Comitijs: quam de manu Dn. Jacobi Comitis ab Ostrorog, Rex in manus propriss benignè acceptam legere, & in meliorem partem interpretari, non fuit dedignatus. Etsi verò ne tunc quidem hostes Veritatis destiterunt cruenta agitare consilia, irritus tamen (DEO suos protegente) fuit ipsorum conatus: imò pax tandem optata, post varias difficultates, Ecclesiæ affulsit, sublatis è medio sub illud ipsum tempus, qui vel maximè in perniciem gregis Dominici conspiraverant, plerisq; adversariorum Coryphæis: Jacobo verô Cómite Ostrorogio, primario Orthodoxorum Patrono, Majoris Poloniæ

niæ Generali Præfecto, (præter spem & votum multorum) à Rege designato. Hæc tum fuit mutatio dexteræ Altissimi, & quidem mirabilis in oculis multorum.

Istud porrò minimè dissimulandum est, quôd licet Ecclesiæ Orthodoxæ in Polonia eo quo dictum est modo primùm plantatæ, propagatæ, & inter varias tentationes Divinâ providentiâ hactenus conservatæ sint: illi tamen quos nominavimus, nec soli omninò, nec primi, fuerunt, quorum operâ Dominus in revelando Polonis Evangelio Christi, discussis errorum nebulis, uti voluit. Extiterant ab aliquot retrò seculis apud Polonos nonnulli, etiam in summo dignitatis gradu constituti, qui eximio indagandæ veritatis divinæ studio flagrârunt. Commendatur eô nomine *Regina Poloniæ Hedvigis, Vladislai Jagellinis*, Regis Polonorum & Magni Lithvaniæ Ducis &c. *Conjux*: quòd libenter legerit testamentum Vetus & Novum, in Polonicam linguâ translatum. Obijt hæc Regina Anno Christi 1399: (Miechovio referente, libro IV. cap. 44. Bielski, & alijs) Cujus memoria ob vitæ ipsius sanctimoniam, clementiam in subditos & egenos, aliaq; pietatis exercitia apud gentem suam nunquam intercidet. De Marito ipsius, Wladislao Jagellone, constat, ipsum privatum Colloquium cum quodam Sacerdote Bohemo, quem hæreticum vocat

vocat Cromerus (Libro 20.) remotis arbitris habuisse: quæ res apud Clerum, qui verebatur ne quid de religione Regi svaderet, suspicione non caruit. Sbigneo Episcopo Cracoviensi potissimùm hic Rex suspectus fuit, ac si hæreticis, quos ipsi vocant, faveret: quod legatos Bohemorum hæreticorum, ut Cromero videtur, comiter & lautè habitos (assentientibus etiam Archiepiscopo & Episcopis cæteris, qui tùm aderant) ad Sacrorum Communionem (in oppido *Pobianice* dicto) admisisset. Hujus Regis postrema Conjunx *Sophia*, Ducis Kioviensis filia (Vladislai a. Regis *Poloniæ* & Hungariæ, qui sub Varna perijt, mater) Biblia sacra in *Polonicam* linguam sibi transferri curavit, usa ad eam rem operâ Sacellani sui, Andreæ de Jaswic. Unde colligere promptum est, ipsam singulari cognoscendæ doctrinæ cælestis studio flagrasse. Qvod Bibliorũ exemplàr manuscriptum hactenus in Domo Mag. & Gen. Dominorum Krotosciorum de Krotossyn studiose asservatur.

Ipsis etiam Hussi temporibus, & ante concilium Constantiense, doctrina Evangelij Polonis innotuerat; quod Cromerus (qui novam eam hæresin appellat) in suâ Historia dissimulare non potuit, libro *XVI*. Sed post Hussi tempora plures longè in *Polonia* Majori, & alibi, reperti sunt, quibus purior Evangelij doctrina cordi fuit. Excelluit

celluit inter alios *Abrahamus Sbanscius*, præclarò stemmate oriundus: quem *Andreas de Bnin* Episcopus Posnaniensis, quod Ministros Evangelij domi suæ alebat, & per ipsos populum etiam erudiri curabat, anathematis fulmine percussit. (Vide Cromer lib. XXI.) Quia verò Sbanscius fulmen istud nihil morabatur, Episcopus irâ percitus nongentos amplius Equites coëgit, quos ad arcem Sbonszin duxit, dediq; sibi Ministros Verbi coëgit, quos deniq; Posnaniæ palàm cremavit. Acciditid Anno 1439, regnante tum in Polonia & Hungaria Vladislao Jagellonis filio, qui paulò post (Anno videlicet 1444.) ad Varnam contra Amurathem (fracto suasu Juliani legati Pontificis fœdere) pugnans, magno Reipublicæ Christianæ malo perijt. Cæterùm Cromerus incendium illud pestilens (suo more Papæ devotus loquitur) haud leviter jam gliscens in Majori Poloniâ, virtute Episcopi tunc restinctum fuisse scribit. Unde apparet non paucos jam tùm in illis oris extitisse Veritatis Evangelicæ minimè ignaros: quos cum Episcopi Verbo Dei convincere erroris non possent, ferro & igne sibi cohercendos putârunt. Hæc tum fuit Episcoporum à Cromero prædicata virtus: non pastoralis, sed bellicâ, ne dicam tyrannica, quâ & Caiphas olim cum suis excelluit, quando turbam gladijs & fustibus instructam, quæ Christum comprehenderet, misit.

Verum

Verum enim verò veritatem premi quidem posse, non opprimi, hîc etiam compertum est, quando tandem Dominus pro immensâ bonitate suâ, superiori seculo lucem Evangelij è tenebris iterū splendescere jussit, ejusq; radijs multorum passim per totam Poloniam corda collustravit. Quo enim tempore primùm exules Bohemi in Majori Polonia Evangelium palàm prædicare cæperunt, in Minori etiam Poloniâ nonnullos excitavit Deus, qui in repurganda & excolenda vinea Christi strenuè laborarunt. Ex quorum numero, præter alios multos, fuerunt *Falix Cruciger*, postea Superintendens renascentis in Minori Polonia Ecclesiæ: *Stanislaus Sarnicius* cujus antè facta est mentio: *Paulus Gilovius*, *Georgius Zarnovicius*, qui ambo & vivâ voce & scriptis præclaram Ecclesiæ operam navârunt. *Joannes* item *à Lasco*, illustri loco in Polonia natus, & cujus nomen apud exteros etiam celebratur. *Andreas Prasmovius*, qui cùm antea Præpositus fuisset cujusdam Ecclesiæ in Minori Polonia, post agnitam Veritatem ultrò relictâ quæstuosâ conditione, in Christi castra concessit: atq; in Cujavia, quæ provincia ad Majorem Poloniam pertinet, & alibi, Evangelium prædicavit. Pacis Ecclesiæ fuit studiosissimus, & cum Fratribus Bohemis fraternum in Domino Consensum sanctè semper coluit. Plures recensere nolo, cùm mei instituti

 non

non sit longum eorum, qui Ecclesias in amplissimo Poloniæ Regno fundârunt, Catalogum texere. Habent per DEI gratiam & hodie Ecclesiæ in Polonia utraq;, Magnoq; Ducatu Lithvaniæ, & alijs ejusdem Regni Provincijs, multos Viros doctos & pios, quorum operâ Dominus ad destruendum regnum tenebrarum utitur: licèt non tam frequentes in his oris, quàm alibi, Ecclesiæ colligantur. Quod partim acceptum ferendum est temporibus istis, de quibus jam olim Salvator prædixit, fore ut sub finem Mundi in testimonium prædicetur Evangelium; partim etiam genio Gentis, naturâ quodammodo ad superstitionem proniori: quô fit, ut splendore illo externo, quô Idololatricus cultus fucatur, dementati, de inquirendâ Veritate minus sint solliciti. Huc accedit, quôd à Clero, qui tyrannicè Conscientijs miseræ & sibi nimis credulæ plebis dominatur, sub anathematis fulmine prohibentur Conciones Orthodoxorum audire, vel colloquia de Religione ulla cum ipsis habere. Sic miseri ad nutum istorum captivi tenentur. Taceo alia impedimenta, quæ plura in Poloniâ, quàm alibi, cernuntur.

Porrò illi renascentis in Majori Poloniâ Ecclesiæ Ministri ab initio statim consilia sua cum Fratribus in Majori Polonia contulerunt, diversisq; temporibus & locis colloquia fraterna instituerunt, mutuas operas ad Ecclesiæ Christi ædificationem

conferentes. Et quia metuebant, nequando idem in Polonia usu veniret, quod in Imperio & alibi evenire videbant, ubi vix ulla res majus Ecclesiæ attulit damnum, quam infaustæ illæ Theologorum de diversis quæstionibus contentiones: indictâ Synodo Generali omnium Evangelicorum in Polonia, Sendomiriæ, Anno Chr. 1570, frequentes undiq; convenerunt, ibiq; Domino pijs cœptis annuête, cùm viderent *tres illas maximè celebres Confessiones, Bohemicam, Augustanam & Helveticam*, de præcipuis Religionis Christianæ capitibus eandem Verbi Divini doctrinam tradere, mutuum illic Consensum confirmârunt, & publicè toti mundo testatum fecerunt. Quem etsi postea nonnulli inquietiores convellere, idq; non semel, conati sunt, singulari tamen D. D. Patronorum, ut & Seniorum Ecclesiæ, vigilantiâ maturè conatibus ipsorum obviam itum est. Quâ in re permagnus Generalium Synodorum (quæ nunc propter iniquitatem temporum rariores habentur, quàm ab initio) fuit usus. In illis enim turbarum authores, si qui fuerunt, repressi sunt, & mutuus Consensus arctiori semper charitatis vinculo constrictus.

Quod reliquum est, assiduis & ardentibus votis invocandus nobis est DEUS, ut dictas Ecclesias maximis hoc novo seculo periculis iterum expositas, omni-

omnipotenti brachio suo defendere dignetur
quô pium hunc in Religione Consensum dein-
ceps etiam sanctè custodiant, & ad poste-
ros etiam suos sartum tectumq;
transmittant.

O DoMIne IesV ChrIste sIs pIIs IesVs.
(id est, Anno M. DC. XVII.)

Errata quædam ita corrigantur.

Præfat. pag. 2. lin. 20. lege *per-*
pauci. Cap. I. p. 2. lin. 6 *sce-*
leratissimi. lin. 12. *1450.*
ib. lin. 20. *tenenti.* p. 5. l. *a-*
liqvam. lin 9. UNITATIS
Fraterna. p. 6. li. 9. *audiret.*
9. 16. *inter* fideles. ibid. l. 21.
de affectatione. 11. 20. *è Seni-*
orum. 17. 9. *assumtis* 19. 11.
occupati. 29 l 6. *infructuosus.*
lin. 10. (*Ibid. 7.*) lin. 12. *contin-*
git. 30. 14. *cognoscerem.* l. 27
obedientiam. 30. 19. *Ecclesia*
Fratrum 33. 6. *memoriã he-*
betet (dele &) 36. 10. *res ludi*
cras. 41. 7. *docebo.* lin. ult.
obtrectationes. 46 26. *contri*
stantur cum contristato. 47
3. *viatico.* l. 7 *concionetur.*
lin 10. *Antiochia.* 49. 6. *Pro*
ficientium, ad perfectionem ten-
dentium, & Pœnitentium. 51
6. *certiores.* ib. 22 *devocant.*
52. 2. *desperantes.* l. 21. *gerun-*
tur. 56. 6. *hortantibus.* 58.
26 *illorum operam.* 59. 21. *I.*
Pet. 2. 34.) 23. *Quæ o-* 60.
15. *rudimenta doctrinæ.* 65.
10. *negari debet.* 76. 15 *a: vir-*
tutis. l. 16. *ab illis* 81. 21. *ab*
his. 89. 21. *scripta* 104. lin
ult. *Confessione &* 112. 21. *con*
stantia mentio 155. 21 *afflicta-*
tur [NB. Quæ Cap XXXII.
§ 18. 19. 20. de Sessionis ritu (ad
Cœnam Domini) narrantur,
habentur totidem verbis in
decretis earundem Synodorũ,
ferventi in Arianos tùm emer-
gentes, omniaq; temerè inno-
vantes, dicta zelo. Quod pro-
inde Ecclesiæ Orthodoxæ, quæ
ritum eundem (antè vel pòst)
libertate Christianâ admise-
runt, non tanquam in se con-
tumeliosè dictum accipient.]
pag. 178. l. 5. *descriptio.* 183.
18. *extulisset.* 185. 23. *impostu-*
ras. 186. 10. *à Babyloniis.*
91. 13. *ordinationem* 201. 2.
Principum 230. 22. *jurgia*
238. 8. *fidei vestra* 259. 18. *vi-*
xorisui 261. l. penult, aliun-
de 300 14. *colligata.* 310.
1. *sicut os* 323. 7. *divinitùs.*
327. 1. *potuerit.* 334. 7. *majo*
rum exemplo) 341. 18. *vertãt,*
aut quibus 344. 14. (*Bodini.*
353. 3. *Cætibus* l. 6. *vos pauxil-*
luli.

Addenda & corrigenda quædam, omiſſa & admiſſa.

Capitis XIV, inſcriptio talis ſit.

Synodorum habendarum ratio: & de Ritu ordinandi Acoluthos & Diaconos.

Cap. XXVI. § 6. omiſſum ſic expleatur: *Si quis Clericus, aut Laicus, à communione ſegregatus, ſeu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus Civitatem ſine commendatitijs literis, receptus fuerit, &c.*

Quæ Capite XXXII. § 18. 19. 20. *de Seſſionis ritu (ad Cœnam Domini) narrantur, habentur totidem verbis in decretis earundem Synodorum, ferventi in Arianos, tùm emergentes, omniaq; temerè innovantes, dicta Zelo. Quod proinde Eccleſiæ Orthodoxæ, quæ ritum eundem (antè vel pòst) libertate Chriſtianâ admiſerunt, non tanquam in ſe contumelioſè dictum accipient.*

Ad pag. 286 ubi Laſicius de Lutheri vehementia, comparata Eliæ vento, & terræ motui, & igni, diſſerit, addi poſſet quod eundem in ſenſum de ſe ipſo, Lutherus ipſe, ſcribit in epiſtola ad Brentium, præfixa Commentario ſuper Amos Prophetam ejuſdem Brentij, his verbis:

 Vene-

Venerabili in Christo Fratri D. Iohanni Brentio, Discipulo & Confessori Christi; Ecclesiæ Halensis Presbytero fidelissimo.

Gratiam & pacem in CHRISTO IESV Domino nostro.

*REdit ad Te, optime Brenti, Amos Tuus, quem ad
me jam dudum miseras. Non est mea culpa quod
tardiùs editus est; sed voluntate ejus, cui Tu donasti.
Quâ ratione is motus sit, incertum est mihi. Ve-
rum quòd tu pro humilitate Spiritûs Tui totum hunc
Commentarium meo judicio subjicis, ut mutem, ad-
dam, detraham, quæ viderentur mihi; absit à me, ut
in hôc Te audiam. Cum enim inter prophanos odio-
sum sit, in alieno libro ingeniosum esse; multò magis
inter Christianos intolerabile est, sibi Magisterium
super ejusdem spiritûs discipulos arrogare. Satis est,
probare Spiritus, an ex DEO sint: ubi probati fuerint,
tum mox venerari & osculari, ac posito Magisterii
supercilio, discipulum potiùs fieri. Neque enim po-
test fieri, quin ubi Spiritus S. loquitur, talia loqua-
tur, quæ omnem Hominem venientem in hunc Mun-
dum sibi subjiciant, & discipulum faciant, siquidem
sapientientiæ ejus non est numerus.*

*Ego verò præter hoc generale encomium spiritûs, de
Tuis scriptis sic sentio, ut mihi vehementer sordeant
mea, ubi Tuis Tuique similium scriptis comparantur.
Non adulor, neque fingo, sed neq; ludo, neque fal-
lo. Non Brentium, sed spiritum prædico, qui in te sua-
vior, placidior, quietior est; deinde dicendi artibus
instru*

NB. Confessionem Bohemorum
fratrum, Basileae 1575.
impressam, habes [illegible] paulo
ante Christi et Apostolorum
vitam, à Camerario de-
scriptam, ubi simul extat
in prooemio ad Lectorem
tota historia de Origine
fratrum Bohem. seu Val-
densium, etc.